


JAC. CHRISTOPHORI BECKII

SS. TH. D. & PROF.

FUNDAMENTA THEOLOGIÆ NATURALIS & REVELATÆ.



BASILEÆ,

Apud EMANUELEM THURNEYSEN. 1757.



CHRISTIANO LECTORI

S. in Christo!


NOn inutilem me suscipere laborem, cum partem eorum, quæ Auditoribus meis tradidi, ac porro, quamdiu Deo placuerit, tradam, in compendium missam, publicæ luci expono, facile intelliges, Amice Lector! *Sic enim & ipsi, qui me docentem audiverunt ac audiunt, repetere facilius audita, ac altius menti infigere poterunt, & ceteri cognoscent, quibus armis nostros Discipulos instruere studeamus, ad incredulitatem & impietatem debellandam, veritatemque cœlestem & probandam & defendendam. Erunt, quibus forte brevia hæc videbuntur. Sed isti, si me norunt, scient, me verbositatem,* quam

quam nonnulli facundiam esse putant, nunquam amasse. Itaque si quid explicavi, ut putem, attentum Lectorem atque Auditorem capere posse; sique id idoneo argumento uno, aut forte altero, comprobavi; ad alia transire soleo. Porro, cum hæc sit veluti σκιαγραφία *mearum de hac quidem Theologiæ parte Prælectionum; patet ea & uberius exposita coram, & in posterum, si voluerit Deus & vivemus, exponenda esse. Usus sum Libris optimis, quos partim indicavi, partim inter docendum indicabo. Fieri etiam potest, ut nonnullorum, quibus quasi innutritus eram, verba aliquando mea fecerim. Id eo factum est, quod melius visum fuit cum optimis loqui, quam inepte balbutire. Vale. Dabam* BASILEÆ, *mense Martio Anni* 1757.



Prolegomena,

De variis Methodis S. Theologiam tradendi.

I. 

Uum primum a. 1744. post obitum Viri eximii, JOHANNIS GRYNÆI, SS. Theologiæ Doctoris & Professoris Cel. ad Provinciam publice docendi S. Theologiam vocarer; nihil antiquius habui, quam ut optimam Methodum, qua id fieret, deligerem. Itaque jam tum Prælectionem inauguralem in frequenti Academiæ Panegyri habiturus, de eo argumento potissimum dicere institui. Cumque antiquitus is, qui inter S. Theologiæ apud nos Professores tertium locum obtinet,

 dicatur

dicatur *Locorum Communium & Controversiarum* Professor; animadverteram, ante me ex eadem Cathedra multos jam de modo *Controversias* Religionis tractandi egisse, in iisque Celeb. SAM. WERENFELSIUM, cujus de hoc argumento *Oratio* Opusculorum novæ edit. T. I. p. 322. reperitur; nec non V. C. JOH. GRYNÆUM, Opusc. p. 150. Putavi rectius me facturum, si de *Methodis Locos Communes theologicos* explicandi quædam disquirerem. Eorum, quæ tum dixi summam nunc *Prolegomenorum* loco huic præmittam opusculo.

2. *Locorum Communium* appellatio a Philosophis ad Theologos dimanavit. Eo nomine intelliguntur Capita quædam, seu ut JCtorum verbo utar, *Tituli*, in quos universa doctrina, quæ tractatur, distribui solet. Alio tamen modo Dialectici veteres atque Rhetores, ac utriusque generis Princeps *Aristoteles*, τόπους seu *Locos* nominarunt Sedes argumentorum, unde rei cujuscunque explicatio atque probatio peti posset. Hunc inde morem non Græci tantum multi, sed & Latini, ut *Cicero*, *Quintilianus*, ceteri; dein *Peripatetici* & *Scholastici*, genuina pariter & spuria *Aristotelis* proles, studiose retinuerunt, & suis Auditoribus inculcarunt.

3. Hac

3. Hac docendi ratione ſucceſſu temporis ita abuſi ſunt homines, ut in doctrinarum ſuarum explicatione & probatione, non apte & diſerte expreſſis cogitationibus ſuis; ſed vocabulis & *terminis*, ut vocantur, *technicis* tantum uterentur, quibus alio atque alio modo compoſitis ludebant potius, quam diſſerebant. Unde ſapientiores, abſurditate rei animadverſa, aliter primum *Dialecticam*, dein ceteras Philoſophiæ diſciplinas (nam ad has quoque illa peſtis pervaſerat) tractare cœperunt.

4. Sicut interim Philoſophiam obſederat obſcuritas illa & fictorum vocabulorum caligo; ita & Theologiam tantum non penitus corruperat. Neſcio nempe quo pacto ſemper contigerit, ut S. Litterarum ſimpliciſſimam, & vulgo etiam rudiori planiſſimam veritatem, homines male feriati ad Methodum philoſophicam ſuarum quique ætatum & Sectarum accommodare auſi ſint. Sed hæc poſtea.

5. Cum ergo tandem illud *terminorum* artificium, ſicut a Philoſophis, ita & a Theologis repudiaretur: manſit tamen vetuſta appellatio, qua olim diſtinguebantur Capita hujus diſciplinæ, ut etiam nunc *Loci*, ſeu *Loci Communes*, tradi dicantur, cum doctrinæ Theologicæ in certas Claſſes diſtributæ, & utcunque connexæ

explicantur. Ceterum ab aliis id, quod apud nos *Locorum Communium* nomine venit, quatenus hi a *Controversiis* distinguuntur, *Theologia dogmatica*, eademque *thetica* seu *positiva* appellatur: *dogmatica* scilicet, quoniam dogmata seu doctrinas S. Scripturæ exponit, & comprobat; quemadmodum illa, quæ mores Christiani hominis format, *Theologia practica* seu *moralis* est: *Thetica* vero s. *positiva* dicitur, quia expositione & probatione doctrinarum contenta, refutandos errores oppositos *antitheticæ*, quam alii *Elenchticam*, &, ut videtur mihi, qui Bella, imprimis sacra, aut potius de rebus sacris pugnas, non amo, minus commode, *polemicam* dixerunt.

6. Si jam de *Methodis Locos Communes*, seu Theologiam dogmaticam tractandi propius agendum est; primum omnium observamus, neque V. neque N. T. sacros Scriptores Methodo aliqua in docendo artificiali usos esse. Habemus in Libris Mosaicis Corpus aliquod Legum sacrarum, & veluti Juris divini Codicem: sed haudquaquam secundum regulas Methodi ullius ab hominibus excogitatæ dispositum. Quodlibet Legum genus, non tam prout cum aliis connectitur, quam pro re nata & occasione sic ferente traditur: ita ut quæ ad eandem Classem per-

tinent,

tinent, plerumque in diverſiſſimis locis ſint quærenda.

7. Eadem ratio eſt Scriptorum Propheticorum Apoſtolicorumque, quibus doctrinæ haud ita traduntur, ut quæ ad hanc partem pertinent, hoc in loco, quæ ad aliam, in alio omnia exponantur. Ipſe divinus Servator noſter, numquid usquam ſyſtematico ordine docuiſſe reperitur? Sumite exempli loco Concionem illam, quam in Evangeliis habemus, uberrimam, apud Matth. V. VI. & VII. & apud Luc. brevius C. VI. Quum ſanctiſſima itemque ſapientiſſima præcepta morum ibi tradantur, quæ nunquam ſatis legi & animo conſiderari poſſunt; fruſtra tamen is laborare deprehendetur, qui ſyſtematicum in iis ordinem quærat. Idem de dogmatibus ſeu doctrinis fidei cenſendum omnes attenti Lectores Evangeliorum facile judicabunt.

8. Dum hæc dico, erunt fortaſſis, qui cogitent, nævum hunc eſſe illorum Doctorum, quod ſine methodo ſcripſerint docuerintque: hinc confuſionem illis objicient, quæ ingenia hominum haud mediocriter offendat. Sed, ſi æqui volunt eſſe rerum æſtimatores, tempora ſcribentium, eorumque ſcopum diſtinguent. Neque enim eadem methodus, quæ in do-

cendo nunc verſantibus placet, olim quoque hominibus placebat; iis præſertim, qui ante omnia methodi artificia excogitata, & hominibus Legum inviolabilium loco præſcripta, vixerunt. Neque rectius facit is, qui Scriptores ſacros reprehendat, ob Methodi ab hodie uſitatis rationibus diverſæ uſum; quam ille, qui *Abrahamo* Patriarchæ vitio verteret, quod hoſpites umbra potius arboris patulæ, quam porticibus longis, aut triclinio, quod purpura auroque multo ceterisque rebus, quas luxuria poſtmodum reperit, ornatum eſſet, exceperit.

9. Quid quod gravis eſt cauſa, cur ſyſtematica Methodo abſtineant ſacri illi Doctores, ſi vel maxime noſtro hoc artificioſo & methodico ſæculo viverent? Hæc vero eſt illa cauſſa, quod artificialis Methodus, utcunque claritatis & evidentiæ mathematicæ nomine interdum celebretur; nimis tamen remota eſt a communi hujus vitæ uſu & conſuetudine, quam ut omnium hominum captui poſſit accommodari. Qui enim ea Methodo erudiuntur, multo exercitio aſſuefieri debent, ut tali ſe cogitationum diſpoſitioni accommodent, & Philoſophum docentem ſequi poſſint. Quotusquisque noſtrum, qui omnem ætatem partim in diſcendo, partim

tum in docendo exegimus, in utroque laboris genere non frequentissimum & attentionis & memoriæ defectum sentit, omnia reliqua sæpe impedientem ac sufflaminantem? Quid igitur futurum existimamus, si salutaris Evangelii doctrina ab ipso Servatore nostro, ejusque discipulis, ad modum hodiernæ Philosophiæ, methodice tradita fuisset? Nonne opifices, agricolæ, ceterique, qui alia omnia agunt, quam ut scientiis addiscendis vacare possint, omni rerum necessariarum cognitione fraudarentur; quibus tamen ad salutem perducendis haud minus studet Optimus Maximus Deus?

10. Familiari ergo potius, & quotidiana Methodo opus erat in genere humano instituendo; si modo hæc Methodus dici potest, quæ pro re nata, & ex fortuita quasi occasione necessaria tradit præcepta. Quam profecto docendi rationem antiquissimi etiam Græcorum Philosophi secuti reperiunrur. Ubi enim *Pythagoras*, ubi *Socrates*, ubi *Plato*, ubi *Cicero*, ubi *Seneca* systema Philosophiæ moralis confecisse leguntur, quos tamen egregia de moribus disseruisse constat, neque minus utilia, quamvis dialogistica potius & populari, quam artificioso modo sua tradiderunt? Hunc enim & usui suorum temporum &

captui hominum accommodatum esse videbant.

11. Doctrina ergo Theologica haud invenitur ordine systematico in S. Codice disposita; sed per partes hinc inde dispersa. Unde sedulus S. Litterarum Lector omnes hos Libros diligenter pervolvit, neque ullum legit Caput, ubi non inveniat complura ad *doctrinam, quæ est secundum pietatem*, utilia. Hanc ob caussam recte creditur, convenientissimam esse S. Theologiam docendi rationem, si Libri sacri Studiosis sedulo exponantur, quos ipsi dein Concionibus populo Christiano, cum ad id vocati fuerint, explicare debeant.

12. Et hanc quidem docendi rationem reperimus antiquos Patres seu Ecclesiæ Christianæ doctores adhibuisse. Haud facile inveniemus ante Sæculum VIII. post Chr. N. aliquod Opus, quod Systemati Theologiæ ullo modo simile sit. Hoc autem tempore *Johannes Damascenus* in Oriente primus tale quid composuit, quem ut antesignanum alii deinceps sunt secuti.

13. Insecuto enim tempore in Occidente eruditorum quidam Sententias Patrum antiquiorum colligere, & in certa Capita distribuere cœperunt. Hinc *Systema Theologiæ* enatum est, non ex S. Scriptura, sed

ex

ex Scriptis hominum, utcunque piorum doctorumque, excerptum. Quapropter institutum in se non malum, eventum tamen pessimum habuit. S. Scripturam, unicum salutaris doctrinæ fontem, negligentes paullatim homines, rivulos istos sectabantur; & primum quidem Patrum quorundam Scripta evolventes, postea & hæc reliquerunt, suisque *Sententiarum Libris* sese involvebant; imprimis postquam *Petrus Lombardus*, ceterique scholasticæ Theologiæ Patriarchæ capita extulerunt.

14. Hæc est igitur vera origo *Theologiæ systematicæ*, non adeo, ut videtis, laudabilis. Interim ad finem usque Sæculi XV. non alia discendi docendique ratione utebantur, mala malis cumulantes, & obscuris subtilitatibus omnia corrumpentes. Cum vero studia Litterarum emendari, & a quisquiliis otiosorum hominum purgari inciperent, animadverti etiam cœpit Theologiæ systematicæ corruptio. Quapropter ex istis Scholasticorum paludibus extrahere homines, & partim ad saniorum & antiquiorum Patrum Libros, partim ad S. Scripturam ipsam revocare studebant illi, quorum animo melior sententia sedebat. Quo in genere, ut alios taceam, *Desiderii Erasmi* potissimum scripta & labores multum profuerunt. Ille enim non modo su-

perstitionem suorum temporum, & Monachorum ineptias, itemque Scholasticorum inutilia, absurda & sæpe impia commenta salse risit: Sed & græcorum latinorumque Patrum Libros edendo atque celebrando, ipsum denique S. Novi Testamenti Codicem græcum, antea eruditissimis quoque ignotum, in lucem protrahendo, in latinum vertendo sermonem, Adnotationibus atque Paraphrasi elegantissima illustrando, ostendit, quid unius hominis opera efficere divina adspirante Providentia atque Benignitate possit.

15. Secuta dein felicissima Sacrorum per varias Europæ partes emendatio, novam etiam faciem *Theologiæ systematicæ* conciliavit. Facile intelligebant homines docti eorum temporum, haud prorsus abjiciendam esse illam docendi discendique rationem, quæ ordine systematico procedens capita doctrinæ sacræ utcunque inter se connectit. Interim emendatione opus esse apparebat.

16. Ante omnia certum est, ita traditam fuisse aliquandiu S. Theologiam, seu potius quamcunque disciplinam eo nomine falso insignitam, ut eorum tantum hominum haberetur ratio, qui per omnem vitam illis subtilitatibus immorari, atque adeo etiam immori deberent. Ceterorum, quos

quos vel hujus vitæ neceſſitas, vel Studiorum varietas alio avocabat, ratio nulla habebatur. Ita neque Populus Chriſtianus inſtituebatur, neque alii ad ejus inſtitutionem parabantur: ipſique Theologiæ Conſecranei ea, quæ diſcebant, ſcholæ tantum, non vitæ diſcebant.

17. Huic malo ut medelam adferrent illi homines, quibus ad Eccleſiæ emendationem Deus uti voluit, duplicem adhibuerunt rationem; quarum altera Plebi Chriſtianæ, altera futuris ejus Doctoribus accommodatior eſſet. Priorem docendi modum exemplo Veterum *Catecheſin* vocabant, qua ea Religionis Chriſtianæ Capita, quæ magis neceſſaria illis temporibus videbantur, ſimplicius & erotematice pertractabantur, ut populus, & juniores potiſſimum, ea ediſcere poſſent. Sic *Lutherum*, ſic *Oecolampadium*, ſic *Calvinum*, ſic alios, ejus generis libellos conſcripſiſſe ſcimus, quibus catechetica methodo juventus in chriſtiana Religione erudiretur. Alteram rationem paullo uberius & accuratius docendi illos juvenes, quibus poſtea doctoribus uteretur Eccleſia, addiderunt eodem tempore partim iidem, partim alii Viri pii doctique.

18. *Phil. Melanchthon* certe, *Locos Communes* edendo, haud alium ſibi ſcopum propoſuit,

posuit, quam ut Summam exhiberet doctrinæ sacræ, cui perdiscendæ studiosa juventus operam daret. Eum dein alii ex Germanis, *Chemnitius*, *Gerhardus*, secuti. Neque suis defuerunt Helvetii, *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Bullingerus*, *Calvinus*, alii, quorum scripta nihil ex antiquis illis Scholasticorum tenebris, quas Pontificii plerique ad hoc usque tempus retinuerunt, sibi adhærere patiuntur. Ipsæ *Joh. Calvini Institutiones Relig. Christ.*, quæ hodie a multis haudquaquam pro suo merito æstimantur, si duriores excipias nonnullas locutiones, quas fervidum Viri ingenium ipsi non minus, ac *Luthero*, aliisque ejus ætatis Theologis, expressit; tanta eruditione, facundia, perspicuitate doctrinam sacram exponunt, ut mirum non sit, illis temporibus, quibus Liber in lucem prodiit, judicatum fuisse præstantissimum, nec indignum, cujus elogium sequenti disticho comprehenderetur:

Præter Apostolicas post Christi tempora chartas;
Huic peperere Libro sæcula nulla parem.

Utrum vero istud elogium hodierno adhuc die Libro *Calvini* conveniat, id quidem non difficile est decernere illis, quibus nota est res litteraria theologica. Interim

terim hoc certum eſt, ſi duriores nonnullæ locutiones, & acerbæ in diſſentientes invectivæ abeſſent, & ipſam doctrinam, & modum, eam maſculo atque elegante latino ſermone proponendi commodiſſime inde haurire poſſe ſedulum lectorem. Gratus memini, Cel. *Jac. Chriſtophorum Iſelium*, Theologum ac Polyhiſtorem inſignem, mihi adoleſcenti, atque ab ejus ore quotidie pendenti, cum *Corpore doctrinæ Zach. Urſini*, has potiſſimum *Joh. Calvini* Inſtitutiones de meliore nota commendaſſe.

19. Hanc ſane Methodum, S. Theologiam verbis planis & in uſu omnium poſitis explicandi, ſecuti ſunt Theologi noſtri ad initium usque Sæculi XVII. Tum demum cœperunt ex Philoſophia ſcholaſtica denuo recipere terminos artificiales, quibus res planas, & cuivis obvias non illuſtrare, ſed obſcurare ſatagebant. Quid enim aliud poſſumus judicare de illa docendi ratione, quando (ut exemplo utar) *Juſtificationis* dogma expoſituri differunt de ejus cauſſa *efficiente*, προηγουμένη, προκαταρκτικῇ: *inſtrumentali*, de *Materia* juſtificationis *active* & *paſſive ſumta*, ut & de ejusdem *forma* & *fine*, porro de *effectibus*, & aliis ejusdem farinæ, quæ ſi ſcias omnia ad [illegible] unguem,

unguem, non plus de *Justificatione* intelligas, quam si nescias.

20. Sicut autem in tanta litterarum & Scientiarum luce, non poterat hæc ratio diutius durare; ita paullatim faustis auspiciis ex hac caligine emergere nostri cœperunt, imprimis postquam *Renatus Cartesius* novam philosophandi rationem protulit, &, licet plurimis reclamantibus, in plerisque scholis paullatim Cathedras occupavit. Tum enim, ut fit, Philosophiæ Cartesianæ habitum aliquo modo Theologia systematica induens, *Locos Communes*, remota terminorum metaphysicorum farragine, dilucide rursus & perspicue tractare cœpit.

21. Imprimis vero *Joh. Coccejus*, Batavorum Theologus, egregiam hic Ecclesiæ operam præstitisse visus est, quod S. Theologiam Scholasticorum terminis liberavit; unde haud immerita laus illi conceditur, quod vitæ potius, quam Scholæ discendum esse demonstravit. Et hoc quidem loco non possum non commemorare incommodum maximum, quod scholastica S. disciplinam tractandi ratio peperit, quam aptissimo nomine *Theologiam verbalem*, seu potius *Terminologiam theologicam* dixit Vir quidam eruditus. Si quis enim hanc ad unguem edidicisset, id quidem consecutus

tus videbatur, ut in Cathedris atque Pulpitis Academicis copiose declamare, acuteque disputare posset: Ceterum cum pro Concione de rebus sacris ad populum dicendum erat, cum Sacræ Litteræ essent explanandæ, cum doctrina salutis inculcanda; tum vero aut obmutescebat Theologus noster, aut talia proferebat, quæ nonnulli admirarentur, intelligeret nemo; ut vere dici posset:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Multo magis hærebat sæpius tali Systemati innutritus, cum in circulum hominum piorum deferebatur, aut familiare de Religione cum aliquo ineundum erat colloquium. Quid mirum, si in alium sibi videbatur orbem delatus; sique mutum agere auditorem debebat cerdonis alicujus, aut mulierculæ, quæ sollidiorem eruditionem ex S. Litteris hauserat, quam Theologus noster ex omnibus Academiis & Bibliothecis?

22. Aliud porro est de *Coccejo* notandum circa *Locorum Communium* tractationem. Omnem ille sibi Theologiam proponebat, tanquam doctrinam de *Fœderibus* Dei cum homine, eorumque *Fœderum* pro diversis Ecclesiæ ætatibus diversa administratione

tione seu *Oeconomia*. Hinc non ipse tantum *Summam doctrinæ de Fœdere & testamentis Dei*; item *Oeconomiam divinam* edidit; sed & discipuli ejus certatim sacram doctrinam Libris comprehendentes *Oeconomiam Fœderum* inscribebant.

23. Non deerant, neque desunt hodie, quibus hæc œconomica Methodus displiceat, tum quod minus commode omnia S. Theologiæ Capita in doctrinam de Fœderibus divinis referri possint; sicut sane videtur hæc doctrina potius pars esse Sacræ Theologiæ, quam integrum ejus systema: tum imprimis ob Regulas nonnullas S. Scripturam interpretandi, quas adhibebat, non omnibus probatas, neque sane, ut existimo, temere probandas. Hinc, ut a *Joh. Coccejo*, Coccejani, sic a *Gisb. Voetio*, Voetiani dicuntur, qui vetustiori rationi inhærent; quæ nomina hodieque Batavas Academias dividunt, ita ut illarum Curatores id sibi studiose agendum esse putent, ut æquis partibus utriusque generis doctores alant, atque ita utrâque Methodo, (nam de hac sola, non de rebus est dissidium) publice doceatur.

24. Sequitur ea S. Theologiam tractandi ratio, quæ nostris his temporibus frequentari maxime cœpit, & *Mathematica* seu *Scientifica* appellatur. Sunt qui *Wolfianam*

nam dicant, neſcio quo jure. Non enim a *Chriſtiano Wolfio*, clariſſimo Germanorum Philoſopho, primum inventa eſt; quippe quæ antiquitate ſua diſciplinarum mathematicarum antiquitatem æquat: ſed ad eas diſciplinas traducta, de quibus hac ratione tradendis nemo fere antehac cogitaverat. Hanc vero Methodum per *definitiones*, *axiomata*, *poſtulata*, *theoremata*, *problemata*, *demonſtrationes*, *corollaria*, *ſcholia* & alia hujusmodi, procedere, nemo ignorat. Hinc ajunt gigni *ſcientiam*, id eſt, cognitionem certam rerum per ſuas cauſſas, & principia.

25. Neque ſane diſplicet mihi hujus Methodi etiam in S. Theologia uſus, ſi modo abuſum, in quem proclivis eſt lapſus, caveas. Paucas igitur de ea addam obſervationes, quæ Studioſis, ut ſpero, non inutiles erunt. I. Non eſt credendum, hanc Methodum ideo *Scientificam* dici, quia ſemper certam atque infallibilem pariat veritatem. Novimus enim, nonnullos errores mathematice demonſtratos eſſe, neque eo ſecius errores haberi; & recte quidem haberi, quoniam demonſtratores iſti non ἀκρίβειαν Mathematicis, imo omnibus veritatis ſtudioſis, convenientem, ſed externam tantum demonſtrationum faciem ſecuti ſunt; neque evidentiam, ſed lin-

B guam

guam tantum Mathematicorum adhibuerunt, ceterum definitionibus pro lubitu excogitatis, principiis veri speciem mentientibus, consequentiis haudquaquam justis, sophisticis æquivocationibus, constructum ædificium exhibent, quod arena sine calce constans tantum de fidelia Mathematicorum dealbatum est, neque ulla re, nisi splendido illo nomine injuste arrogato, itemque commoda ad pravas libidines & omnis Religionis contemtum accommodatione, sese tuetur. De *Spinosa* & *Spinosistis* me loqui patet, auditores, qui colchicis venenis nocentiora dogmata demonstrationum specie, velut auro, sed adulterino obducunt.

26. II. Nemo sibi persuadeat, ante usum *scientificæ* istius Methodi ad S. Theologiam deductum, nullam fuisse rerum sacrarum scientiam; quod imperitiores fortassis existimare possent, cum videbunt, nostris demum temporibus splendidum illum *scientificæ Methodi* titulum Libris Theol. præfixum. Quemadmodum enim Methodus, qua res traditur, nihil in ipsarum rerum natura immutat; sed tantum concipiendi modum variat: Sic, quamvis non ordine Geometrarum proponeretur demonstratio, erat tamen satis apta ad mentem illustrandam pariter, & convin-

cendam.

cendam. Neque enim *Enthusiasmo*, & cœcæ mentis persuasione; sed conceptuum, & consequentiarum evidentia nitebatur omni tempore piorum fides. Idque de iis verum est dogmatibus, quæ solius rationis ope demonstrari possunt, & de cæteris, quæ nonnisi præeunte Revelationis lumine indagantur. In hoc certe genere posteriore videte, quænam sit demonstrandi ratio. Explicato dogmate, de quo agitur, allegatur sententia S. Scripturæ, cujus sensus secundum sanioris Critices regulas explicatur, si opus est, indeque conclusio sponte consequitur. Sic tota demonstratio nostra unico Enthymemate includitur: *Hæc doctrina traditur in S. S. ergo &c.* Consequentiæ vis ex iis patet duabus propositionibus; *S. Script. est verbum Dei, hoc autem fallere nescit:* quæ vel in fronte Systematis Theol. demonstrari debuerunt, vel ut jam alibi & ab aliis demonstratæ merito supponuntur.

27. III. Observandum est, Methodum Mathematicam, si vel maxime cum externis etiam interna requisita, i. e. cum habitu etiam *ἀκρίβειαν* mathematicam habeat, non talem esse, quæ populo possit prodesse, cujus potissimum curam habendam ratio dictat. Hi enim doctores tali ratione potissimum suos discipulos instituere de-

bent, ut apti fiant cœtui numeroſo non Philoſophorum, ſed hominum, eorumque maximam partem rudium & hebetium erudiendo. His ſimplicius res proponenda eſt, & eo modo, quo negotia quotidiana tractantur.

28. Facile hæc exponi pluribusque obſervationibus augeri poſſent, niſi temporis ratio habenda foret. Nolim vero hæc ita capi, quaſi Methodum Mathematicam penitus ex Theologia relegari velim. Haudquaquam enim ignoro, a multis eam cum maximo fructu eſſe adhibitam, & his quidem potiſſimum neceſſariam temporibus, ut armis quibus nonnunquam oppugnatur veritas, eandem propugnare queamus. Exiſtimem igitur & hanc demonſtrandi rationem ſuo modo & ordine eſſe perdiſcendam: Ceterum imprimis populari & captui multitudinis accommodatiori docendi & demonſtrandi Methodo ſtudendum.

29. Supereſt tribus verbis pandenda ea Methodus, quam *Liberius de S. Amore*, ſeu *Joh. Clericus* commendavit potiſſimum in *Epiſtolis Theol.*, & recentiorum nonnulli ſecuti videntur. Hanc *Hiſtoricam* appellant, quod ordinem temporum ſequitur, & a Creatione Mundi & hominis incipiens, in rebus geſtis Chriſti & Apoſtolorum definit, Statum Eccleſiæ, & doctrinæ formam

quavis

quavis ætate explanans. Quam quidem rationem amœnitate & commoditate sua se commendantem, non suspectam, ut alii, habuerim, acsi anguem in herba latentem occultaret: Verum ego hoc in ista Methodo desideraverim, quod Historiam potius sacram, quam dogmata Religionis Christianæ tradit. Hoc enim est Historici officium, qui Ecclesiæ fata enarrat, ut quovis ævo & statum & doctrinam ejus in clara luce collocet, quod etiam in privatis nostris Prælectionibus, quibus Hist. S. V. & N. Testamenti tradimus, facere solemus.

30. Addam breviter, quemnam mihi constituerim ordinem, quem sequens, cum futuris auditoribus, S. Theologiæ amplissimum istum campum percurrere in animo habeam. Deo igitur benigne adjuvante statutum mihi est I. *Naturalem Theologiam* explicare, & docere, quænam videatur illa Religio, quam sana ratio dictat; ubi quidem ad generalia quædam capita omnia referens Dei existentiam & providentiam, hominis in eum officia, animæ immortalitatem, præmii & pœnæ futuram retributionem comprobabo.

II. *Revelationis divinæ* in S. Scriptura exstantis, & ipsius S. S. necessitatem, veritatem, divinitatem, perfectionem, in-

tegritatem, & usum exponens, eam ab objectionibus incredulorum vindicabo.

III. Sequetur *doctrina S. Scripturæ*, quæ Symboli Apostolici, Sacramentorum & Decalogi explicatione absolvetur, sicque & dogmaticam & moralem Theologiam comprehendet.

31. Hoc faciendo duplicem potissimum utilitatem mihi spondeo. Primum quidem, quod hoc modo & credenda, & facienda, i. e. tam Fides, quam officium Christiani hominis inculcabitur; atque ita haud injustis nonnullorum querelis satisfiet, qui dicunt, nullam in Academiis Theologiæ moralis s. practicæ haberi rationem. Deinde cum in omnibus Ecclesiis, & recte quidem, mos sit, ut Symbolum Apost., doctrina de Sacramentis & Decalogus, juventuti pariter in Catechesi, & adultioribus pro concione explicentur; Auditores nostros eo aptius ad ista Munera præparabimus, si iisdem fere partibus doctrinam nostram dispertiemur, quibus eam in Ecclesiis tractari convenit; ut ita mature hunc sibi adquirant habitum illi, qui Verbum Dei publice annuntiare aliquando debent, quem in omni sua reliqua vita & conservare & perficere tenentur.

32. Non existimo igitur pluribus verbis hanc nostram Methodum esse commendandam,



dandam, quam certo scio neminem non probaturum esse, qui paullum modo rei, de qua agitur, naturam habuerit cognitam. Sicuti autem alias methodos haud reprehendo eam ob caussam, quod ab hac, quam proposui, diversæ sint; ita & spero atque confido, assiduos atque attentos me habiturum esse auditores, qui perpetuo considerent, quantum sit rei, de qua agitur, momentum.

33. Hæc est eorum, quæ tum quidem pro Cathedra a me dicta fuere, summa. Cumque ab eo tempore primas quasi lineas mearum lectionum ducerem, quas in docendo, tanquam filum ariadneum, sequerer: Statui nunc inde natam Synopsin Fundamentorum *Theologiæ Naturalis* & *Revelatæ* prælo committere, ut & Auditores nostri carissimi, quibus omnis iste labor est dicatus, faciliorem habeant audita repetendi rationem; & universis ut constet, non in promissis olim nos substitisse, sed re ipsa, quod promissum erat, pro virili præstare studuisse.

24. Minime vero supervacuum me laborem nunc quidem suscipere existimo. Nam primum quidem patet, istam partem S. Theologiæ, quæ tamen ceterarum est veluti Basis, in plerisque Compendiis ac Systematibus, si novissima quædam exci-

pias, neglectam jacuisse ad hoc usque tempus. Inde ab a. 1626. ad nostram ætatem in Scholis nostris theologicis exponebatur Studiosis S. Litterarum hominibus *Joh. Wollebii* Christianæ Theologiæ Compendium, plus quam vicies non Basileæ modo, sed & apud Anglos & Batavos, recusum. Hoc cum accuratissima pro temporum ratione Methodo esset dispositum, nihil tamen de *Existentia Dei*, ac ceteris ex Theologia Natur. demonstrandis capitibus habet; sed confestim ab Essentia s. Attributis Dei ex S. Scriptura illustrandis incipit. Nec aliter poterat Theologus, nulli suæ ætatis secundus, cum omnium eo tempore sententia esset, illas quæstiones inter Christianos moveri non debere, sed tamquam nemini dubias supponi. Quin etiam de *Scriptura S.* nefas existimabant, vel ad momentum dubitare, sitne *a Deo inspirata.* Sic *Wolleb.* cap. I. can. VII. *Quæstio, an Scriptura s. S. Biblia sint Verbum Dei? homine Christiano indigna est.* Hoc ergo animo cum essent, mirum non est, quod nec de *Religione naturali*, nec de *Veritate Relig. Christ.* nec de *S. Scripturæ Θεοπνευςία*, quidquam fere traderent ejus temporis Theologi.

35. Caussa fuit, quod Controversiis Christianorum, quas hi inter se agitabant plurimas, immersi, de generalibus fidei christianæ

christianæ fundamentis haud erant solliciti, quippe quæ extra controversiæ aleam posita erant. Hinc neque in Catechismis ea de re agi videmus. Neque tamen aut Systemata, aut Catechismi ejus temporis sperni debent, quippe cum temporibus eorumque necessitatibus omnino essent accommodati illi Libri.

36. Nos vero in alia tempora reservavit Deus. Non de gravissimis modo Religionis Christ. capitibus manent pleræque Controversiæ veteres: Sed accesserunt aliæ de primis, quibus primum omnis Religio, dein ipsa Christiana fides nititur, fundamentis, quæ nisi probe firmata habeamus, cetera omnia irrita concident. Nimirum ætas nostra protulit, ac profert eheu! novos veluti *Porphyrios*, *Celsos*, *Julianos*, *Lucianos* ac similes, qui summa sidera se tangere putant, si Conditorem ipsum Siderum cœlo exturbent, atque cum S. Scriptura prima omnis Religionis principia proculcent. Hinc cum maxime res seria agitur; nec minutis quæstiunculis alii alios vexare, sed arcem salutaris veritatis tueri debent.


37. Ea de caussa Theologiam Naturalem primam omnium tractandam, & diligenter quidem existimamus. Nec *Fanaticorum* curamus insultus, qui rationis ac facultа-

cultatum a Deo hominis menti inditarum neglectum pro pietate habent, nec verentur somnia sua ac deliria Spiritus S. nomine appellare, quem nec in ipsis esse, nec ab iis quæri mediis ab ipso Deo propositis videmus. Quare ab his non minus periculum sanctissimæ nostræ Religioni imminere existimamus, quam ab ipsis *Atheis* aliisque Religionis Christianæ hostibus. Cum isti objiciant, eam ab ratione abhorrere; illi clamant, nos in tradenda ea rationi nimium indulgere; quasi vero non λογικὴ λατρεία, *rationalis Religio* debeat esse nostra, sed ἄλογος, *a ratione remota*; quo ipso eam everti nemo non videt.

38. Quod superest; Deum O. M. rogo, ut qualecunque hoc Opusculum velit Ecclesiæ reddere utile, atque prout animo propositum mihi fuit, ad Gloriam suam, & veritatis confirmationem!



CAP. I.



CAP. I.

DE THEOLOGIA IN GENERE.

§. 1. THeologiæ vox græca est, ex Θεὸς, *Deus*, & λόγος, *Sermo*, composita. Sic ergo notat quemlibet de *Deo & rebus divinis sermonem*. Interim constat inter Christianos iis potissimum datum *Theologi* nomen, qui diligentius περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου, *de Deo Verbo*, s. de Filio Dei ejusque vera Divinitate contra hæreticos dissererent. Sic *Johannes* Ap. in Apocalyps. inscriptione, & *Gregorius Nazianzenus*, Theologi dicti sunt. Neque eo secius Theologi sunt dicti etiam illi, qui de Deo ac rebus divinis in universum agerent.

§. 2. Heic ergo *Theologiam* accipimus, pro *Disciplina, quæ de Deo & rebus divinis ita agit, ut & cognitionem Dei & cultum tradat.* Hinc & duas esse Theologiæ partes colligitur. Earum altera est *theoretica*, altera *practica*. Prior tradit ea, quæ ad cognoscendum Deum pertinent; estque partim *dogmatica*, partim *elenchtica*.

§. 3.

§. 3. *Dogmatica Theologia* in explicandis dogmatibus, f. doctrinis, atque probandis, *Elenchtica*, in refutandis oppositis erroribus versatur. *Polemicam* nonnulli eam vocant. Quamvis autem hæc pars *theoretica* proprie ad Intellectum hominis respiciat, & cognitionem gignat; haud tamen convenit, eam in hoc subsistere. Debet enim eo tendere, ut ex dogmatibus illis & natura Cultus divini, & rationes ad eum incitantes colligantur.

§. 4. Quemadmodum ergo *theoretica* Theologiæ pars non *theoretice*, sed *practice* debet tractari: Sic & illi maxime peccant, qui *practicam* Theologiæ partem, quæ & *moralis* dicitur, non *practice*, sed *theoretice* tractant. Id illis contingit, qui sicut in *credendis*, ita in *faciendis*, intellectum tantum instituunt, de voluntate vero movenda solliciti non sunt.

§. 5. Porro seu theoretica seu practica *Theologia* vel est *Naturalis*, quæ per rectum usum Rationis, i. e. facultatum naturalium mentis nostræ comparatur: vel *Revelata*, quæ ex peculiari a Deo facta Revelatione hauritur. Prior quamvis pro parte Philosophiæ haud immerito habeatur; Theologi tamen eam optimo jure sibi vindicant, quippe quos in hac parte haud ἀφιλοσόφους, *Philosophiæ expertes*, esse convenit.

Poste-

Poſterior *Chriſtiana* dicitur, non quod ſolum ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina in N. T. expoſita hauritur: debet enim & V. T. adhiberi: ſed quod a Judæorum, Gentilium, Mohammedanorum Theologia eo nomine diſcernitur.

§. 5. Sunt & alia nomina, quibus Theologiæ ſpecies quædam, ſ. formæ potius diſtinguuntur. Sic Theologia *Scholaſtica*, quæ a doctoribus XII. & ſequentium Sæculorum exculta, in Romano-Catholicis Scholis retinetur. Theologia *Myſtica*, quæ ſublimius de Deo & officiis erga eum agit. Tacemus a recentioribus adhibita nomina Theologiæ *Theticæ*, quæ cum *dogmatica* eadem eſt; item *Symbolicæ*, quæ in Symbolis vel Confeſſionibus publicis continetur; *Theologiæ patriſticæ*, quæ ex Scriptis Patrum hauritur; *Theologiæ Exegeticæ*, quam vocant doctrinam de S. Scriptura recte interpretanda, quibus addunt nonnulli *Theologiam Propheticam*, quæ in ſenſum Prophetiarum inquirit. Vid. *J. F. Buddei Iſagoge in S. Theol.* Lipſiæ 1730. 4. edita.

§. 7. Species illæ Theologiæ non in re ipſa, ſed in modo tractandi tantum differunt, exceptis iis partibus, in quibus errores traduntur, a quibus nec Scholaſtica, nec Myſtica, nec Patriſtica Theologia immunis eſt. Quænam vero ſit ante omnes alias

alias necessaria facile intelligitur. Cum enim id quod ratione discitur, omnibus hominibus commune sit; neque adeo homines esse possimus, nisi ratione utamur: liquet *Theologiæ Naturali* primum esse incumbendum.

§. 8. Post eam divina *Revelatio* cognoscenda. Cumque ea in *S. Scriptura* contineatur, hujus quærenda notitia, una cum Legibus rectæ interpretationis, ceterisque subsidiis; quibus si careamus, neque dogmata cognoscere ac probare, neque errores refellere poterimus. Hinc ergo *dogmatica* & *elenchtica* Theologia sequitur. Male porro negligitur a plerisque Theologia *practica* s. *moralis*, sine qua tamen salus nostra aliorumque obtineri nequit.

§. 9. *Patristica* Theologia, seu Studium aut Lectio *Patrum* plerisque non ita est necessaria, nisi quatenus ex Historia Ecclesiastica illorum notitiam aliquam comparare, & nonnullos eorum, *Apostolicos* potissimum, qui dicuntur, attentius perlustrare debemus.

§. 10. Quod bonum est in *Theologia Mystica*, id *moralis* seu *practica* comprehendit. *Symbolicam* ita interpretamur, ut cognoscamus, quam consentanea Symbola sint S. Scripturæ, quod in dogmatica & elenchtica Theologia dispicitur. *Propheticam* vero,

ro, ac si qui addunt *Typicam* aut alia nomina, ad interpretationem s. Exegesin S. Scripturæ referimus.

§. 11. Nullam vero Theologiæ partem aut speciem sine *Historiæ Ecclesiasticæ* subsidio recte tractari inter omnes constat. Unde ejus cognitio Theologiæ vel præmittenda, vel cum ea conjungenda.

§. 12. Tandem cum in eum finem Theologiæ studio incumbant plerique, ut Ecclesias pascere, atque ædificare possint; hinc & de ratione concionandi, quæ *Homiletica* dicitur, nec non de universo Munere pastorali, quæ appellatur *Theologia pastoralis practica*, sollicitos nos esse convenit. Nec enim levia hæc sunt, aut talia, ut per se cognoscantur. Sed in his quoque Studio atque institutione opus est haud vulgari.

§. 13. Neminem vero Theologicis disciplinis operam dare oportet, nisi *Propædeumatibus*, s. præparatoriis quibusdam instructus sit. Talis est *Lingua Latina & Græca*, *Logica*, *Historia universalis*, cognitio *Antiquitatum* Romanarum, Græcarum & Hebraicarum; quibus subsidiis, qui caret, illum duplicata diligentia, dum Theologiam discit, hæc quoque tractare opus est.

CAP.

CAP. II.

DE THEOLOGIA NATURALI.

§. 1. DAri *Theologiam Naturalem* æque certum est, ac dari Rationem s. Intellectum humanum. Non desunt tamen, qui necessitatem id probandi nobis imponant. Tales sunt *Sceptici*, *Sociniani*, ac *Fanatici*. Illi omnis cognitionis principia negantes, nihil omnino certum esse putant. Itaque eos refutaturi atque *Theologiam Naturalem* probaturi, prius debemus de primis humanæ cognitionis principiis convincere. Hoc ni fiat, in ceteris non plus proficies, quam si laterem laves.

§. 2. *Socinianorum* alia est ratio. Isti enim cum facultatibus hominum naturalibus in aliis Religionis capitibus nimium tribuant, in hoc eas ita deprimunt, ut negent, dari aliquam Dei *cognitionem naturalem*, asserunt e contrario, omnem de Deo cognitionem vel ex *traditione* haberi, vel ex *fide s. revelatione*. Contra hos disputamus partim ex ipsa rei experientia, partim ex Scriptura.

§. 3. Experientia hoc suppeditat argumentum, quod nulla pæne unquam in Orbe



Orbe terrarum inventa natio, nisi penitus omnem mentis culturam abjecerit, quæ non generales quasdam & communes de Deo notiones habeat. Inde apud omnes Religio, quamvis quoad formam diversissima; id quod Veteribus jam observatum fuit.

§. 4. Neque enim dici potest ex *traditione* istud in omnes Populos dimanasse, aliosve ex aliorum *imitatione* hausisse: quia tanta Religionum observatur diversitas, ut nonnisi in generalissimis quibusdam capitibus conveniant. Quæ ex traditione aliorumque imitatione proficiscuntur, ea uniformia fere sunt, nec tantopere differunt.

§. 5. Porro cum traditio ex primæva quadam Revelatione ortum habere debeat, Revelatio autem nonnisi vera indicare poterit, non orti fuissent tot in ipsis Religionis fundamentis ac tanti errores, qualis est de multitudine ac generationibus Deorum; quæ Revelationi e diametro opposita sunt; si ex sola traditione suam de Religione cognitionem populi hausissent.

§. 6. Porro ex ipsa singulorum Capitum Theologiæ naturalis contemplatione apparet, esse heic aliquam Luminis naturalis vim ac facultatem. Manifestis enim ratiociniis ac argumentationibus colliguntur

tot veritates, quibus nonnisi *Sceptici* aliive pertinaces veritatis adversarii resistere possint.

§. 7. Quamvis enim verum sit, Rationem solam sibique relictam nunquam tam egregia Theologiæ naturalis Systemata confecturam fuisse, nisi Lumine Revelationis adjuta ac veluti admonita fuisset: non tamen nullas illius facultates in hac parte esse ipsa gentilium Philosophorum Scripta ostendunt. Superantur hæc quidem maximopere Scriptis Christianorum; qui Revelationis luce collustrati omnia accuratius videre, atque etiam demonstrare valuerunt. Nec tamen gentiles insignibus multis observationibus destituuntur.

§. 8. Neque etiam negamus ea, quæ solo Rationis fulcro nituntur, perpetuis plurimorum objectionibus & contrariis rationibus impugnari. Non tamen inde sequitur, nihil esse in Theologia naturali firmum aut certum. Ut enim taceam, contentiosis hominibus non difficile esse, quodvis etiam Revelationis dogma impugnare: Certum est, sufficienter occurri posse per recta ratiocinia quibusvis disceptationibus, ut veritatis studiosus omnino acquiescere possit. Quibus autem voluptati est, quidvis vel evidentissimum impugnare, illos apparet non discendi studio

dio

dio id facere; ſed ut ſuæ incredulitati ac impietati colorem inducant.

§. 9. *Socinianis* opponimus etiam ſententias quasdam S. Scripturæ. Rom. I. 19. 20. ubi *τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ*, *cognitio Dei*, ſ. id quod de Deo cognoſci poteſt, *inter gentes apertum eſſe dicitur*, quia *Deus illis aperuit*; non certe per Revelationem & inde deductam traditionem; ſed per Lumen naturale, dum ſcil. *inviſibilia Dei a creatione mundi*: i. e. Deus ipſe, cum ſuis perfectionibus, quæ ſua natura quidem oculis uſurpari nunquam potuerunt; *ex operibus intellecta conſpiciuntur*: dum ſcilicet ex contemplatione operum divinorum per ratiocinium colliguntur; in iisque præcipue *æterna ejus potentia & divinitas.* Heic aperte Rationi attribuitur Deum cognoſcendi facultas, eaque talis, ut ſufficiat ad redarguendas ſuperſtitiones, quæ vitio hominum pro vera religione apud Gentes receptæ fuerunt: *Εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους*, *ut excuſationis ſint expertes.* Sic Legum & officiorum naturalium cognitionem iisdem tribuit Apoſtolus Rom. II. 14, 15. nec aliud eſſe poteſt *Opus legis γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, *ſcriptum in cordibus ipſorum*; quam cognitio officiorum hominis, ſolius naturalis Luminis ope comparata. Adde Pſ. XIX. 1. Act. XIV. 15 ſ. XVII. 23.

§. 10. Objiciunt Sociniani Gentes quasdam *Americanas*, cognitione & cultu Numinis carentes. Sed illæ, & si quæ aliæ similes, aut non satis cognitæ sunt, prout de nonnullis constat, multa de iis tradita postea falsa fuisse deprehensa: aut eo stupiditatis prolapsæ, ut præter formam corporis vix quidquam hominibus simile haberent.

§. 11. Nullam esse rerum quarumcunque cognitionem, quam nascentes homines secum in lucem adferant, constat. Neque sane aliam per insitas aut communes notiones intelligimus; quam eam, quam homo cumprimum ratione utitur, atque seipsum ac res extra se positas contemplatur, continuo percipit, atque ex quo dein per ratiocinium alias notiones colligit. Nec obstat, quod inventi sunt *Athei*, i. e. qui omnino aut apertius aut occultius negarunt Dei existentiam. Sive enim id fecerint ex errore, sive ex pravitate animi; non debet inde colligi, per naturale Lumen Deum non cognosci. Multi enim istud Lumen vel negligunt, vel exstinguere conantur.

§. 12. Quod tandem allegant ex Hebr. XI. 3. 6. *Fide intelligi, Mundum verbo Dei perfectum*, item *ipsum Deum existere, ac remuneraturum eos esse, qui ipsum quærunt*, id, quam-

quamvis veriſſimum ſit, non tamen infert, nullam dari naturalem Dei cognitionem. Quod enim *Fide*, i. e. Revelatione, quæ eſt fidei fons ac fundamentum, cognoſcitur; illud & *Ratione* interdum cognoſci poteſt, ita ut tam *Naturalis*, quam *Revelatæ Theologiæ* pars eſſe intelligatur.

§. 13. De *Fanaticis* iſtud conſtat, illos Rationem ejusque culturam negligere atque damnare, omnia unicæ ac immediatæ Spiritus S. operationi tribuentes. Ex horum ergo opinionibus nulla eſſet *Theologia naturalis*; ſed quidquid homo de Deo cognoſcit ac ſentit, id omne a Spiritu S. eſt. Si dicerent, a Deo eſſe, recte dicerent. Nam rationis Lumen a Deo eſt; ſed homini inſitum ac innatum, non peculiari quadam Spiritus S. operatione accenſum.

§. 14. Contra hos eadem pugnant argumenta, quæ ante allata ſunt, quippe ex quibus conſtat, præter Lumen Fidei ſeu Revelationis, eſſe quoque Lumen Naturæ. Iſtud fidei non obeſt; ſed eam promovet, dum Revelationis veritatem & divinitatem inquirit ac demonſtrat. Cumque id a Deo ſit, patet eos peccare, qui ſpernunt ac rejiciunt.

§. 15. Dicunt Rationem eſſe *cæcam, corruptam*; hominem a Deo magis abducere, quam ad eum adducere. Reſpondemus,

eam quidem talem non esse, qualis in homine fuit, cumprimum crearetur; sed per lapsum vim suam magna ex parte amisisse. Hinc fit, ut plerumque homines non Rationis dictamen & Conscientiæ; sed impetum cupiditatis & affectuum sequantur. Neque tamen eo secius Ratio multas videt de Deo & officiis nostris veritates, hominemque, si eam sequatur, ad Deum ducit.

§. 16. Provocant ad 2. Cor. X. 5. ubi dicitur: *omnem rationem*, ut *Lutherus*, aut *omnes cogitationes*, ut *Beza* vertit, *πᾶν νόημα*, *obedientiæ Christi subjici debere.* Nec quisquam hoc negat. Quis enim dubitet Christianus, si quid Christus jubeat vel facere vel credere, faciendum aut credendum esse, quamvis id ratione non adsequamur? Interim non negatur in cognoscendis & dogmatibus & præceptis Christi ratione utendum. Sunt enim illa hominibus rationalibus, non ratione carentibus animalibus præscripta.

§. 17. Porro istæ objectiones nihil ad rem faciunt. Non enim agitur de cognoscendis Religionis Christianæ mysteriis, aut sanctissimis ejus præceptis, quæ sola Revelatione constant: Sed de Religionis Naturalis veritatibus, quas dicimus Ratione perspici posse. Itaque *Theologiam naturalem* dari constat.

§. 18.

§. 18. Sunt & qui τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, *quod sapit caro*, de quo Rom. VIII. 6. quodque opponitur τῷ φρονήματι τοῦ πνεύματος, ei, *quod sapit Spiritus*, cum *Ratione*, de qua agimus, confundunt. At hi sane haudquaquam recte agunt. Ibi enim non de ratiocinio & facultatum mentis legitimo usu; sed de pravis cupiditatibus, & earum cum Spiritu S. pugna sermo est. Eas autem pravas cupiditates nec ipsa ratio probat.

§. 19. Cum vero *Rationis* Lumen spernant Fanatici, aliud substituunt, quod omnibus hominibus *congenitum*, *atque sufficiens* sit ad salutem. At hoc aut nullum est, aut cum Lumine Rationis & Conscientiæ idem. Nec tamen ad Salutem sufficiens, cum ad Mysteriorum fidei intelligentiam non adsurgat; sed ad eam Dei Revelatione in Scriptura S. opus habeat. Sed errores Fanaticorum hoc loco non refutamus, alio tempore, si Deo placuerit, id facturi.

CAP. III.

DE THEOLOGIÆ NATURALIS USU ET PRÆSTANTIA.

§. 1. Cum detur *Theologia Naturalis*, ea sine dubio haud est contemnenda, quippe cum a Deo proficiscatur, qui

 est

est rectæ Rationis æque ac Revelationis auctor.

§. 2. Nec illi modo, qui carent divina Revelatione, cupide amplecti debent, quidquid Natura de Deo tradit; sed eos quoque in maximo pretio sanæ rationis dictamina habere decet, quibus Revelationis Lumen est concessum.

§. 3. *Theologia Naturalis* aliquo modo tanquam Basis & Fundamentum *Theologiæ Revelatæ* consideranda est, cum & ipsa tales veritates contineat, quæ in hac uberius & certius explicantur, & veritates ratione constantes, ut homini notæ, in Revelatione supponantur.

§. 4. Permagni est momenti ad confirmandam fidem nostram, utriusque disciplinæ perpetuum consensum observare; ut intelligamus, nihil a sana ratione doceri Revelationi contrarium, nihil a Revelatione contrarium rationi.

§. 5. Ut Revelationi credam, opus est, me de Existentia Dei persuasum esse; idque ex ratione s. *Theologia Naturali.* Revelatio enim sibi ipsi divinitatis testimonium reddere non posset, nisi prius Deum esse constaret.

§. 6. Opus est porro, ut veracitatem Numinis ratio demonstret, ut pateat, quicquid

quid ab eo proficiscitur, verum esse, adeoque Revelationem recipiendam.

§. 7. Opus est, ut ratio in S. Scriptura perspiciat notas s. characteres divinæ revelationis, quod nimirum omnia Deo dignissima; & quæ alia sunt, suo loco tradenda, quibus probetur, illam a Deo profectam esse.

§. 8. *Theologiæ Naturalis* diligens consideratio demonstrat Revelationis necessitatem, hominisque desiderium excitat in hac perdiscenda.

§. 9. Monstrat enim, quam pauca sint, quæ ratio de rebus divinis doceat; ostendit, quam sint eadem imperfecta, quam obscura, quam infirmo talo stantia; quot dubitationibus obnoxia.

§. 10. Apparet imprimis, primarium *naturali Theologiæ* caput deesse; Medium scilicet, quo homo peccator, qui legem ipsam Naturæ toties transgressus est, in gratiam cum Deo redire, & ex reatu ac miseria adnexa liberari queat.

§. 11. *Theologia Naturalis* juvat Revelatam, eo quod S. Scripturæ sensum indagare docet. Non enim postremum obtinet locum sana ratio inter subsidia hermeneutica cujuslibet auctoris; Quidni etiam S. Codicis?

§. 12. Haudquaquam tamen Ratio con-

ſtituenda eſt S. Scripturæ interpres, ut nihil tanquam ejus admittatur Senſus, quod non ratione concipi poſſit; Sed ut contradictorium nihil, ſeu falſum, quod apertis veritatibus repugnat, Scripturæ imputetur.

§. 13. Graviſſima tandem eſt cauſſa, *Naturalem Theologiam* ſedulo perdiſcendi, quod omnes intendit nervos impietas, 1. ut Religionem Revelatam ex Naturali impugnet, quod præter alios *Collinus* & *Tindal* egerunt: 2. ut ipſam naturalem, & ſic omnem Religionem evertat, quod *Hobbeſius* & *Spinoza* conati ſunt.

§. 14. Hic uſus reſpectu Chriſtianorum. Cumque haud defuerint veræ de Numine notiones etiam Ethnicis, obſervandum eſt, haud exiguo illis uſui fuiſſe Naturalem Theologiam.

§. 15. Sic enim ſuſtentabatur vita Civilis, firmabantur Societates, Legibus & Magiſtratibus auctoritas addebatur, morum honeſtas atque ordo locum habebat, boni ſenſu officii & ſpe præmiorum excitabantur, conſcientia & metu cohibitis malis.


§. 16. *Fons Theologiæ Naturalis* ſana eſt ratio. Sed quoniam haud cuivis datur, propria meditatione iſtius principia evolvere, & conſequentias cernere; hinc legendi

gendi Philosophorum & Theol. Libri, observata Regula Apostoli: *Omnia probate: quod bonum est, retinete.* I. Thess. V. 21.

§. 17. Prosunt in hac parte etiam Scripta Ethnicorum, græcorum latinorumque; hæc cum sit ex utilitatibus Litterarum elegantiorum haud postrema, ut, quæ de Deo rebusque divinis sciverint illi, qui nullum præter rationis lumen habebant, discamus.

§. 18. Nihil tamen recipimus, ut rationis dictamen, quantumvis magnis auctoribus tradatur, quod non sensui communi consentiat, quia ratio, non auctoritas heic valet.

§. 19. Capita *Theologiæ Naturalis* sunt potissimum hæc: 1. Deum esse. 2. Eum esse Ens perfectissimum. 3. Mundum & res potissimum humanas gubernari Providentia ejus. 4. Hominem certarum obligationum capacem. 5 Animas esse immortales, & præmia bonis, improbis pœnas exspectandas. His expositis & comprobatis absolvetur hæc disciplina.



CAP.



CAP. IV.

DE EXISTENTIA DEI.

§. 1. NUllum eſt dubium, quin ab Exiſtentia Dei pendeat omnis Religio. Hæc enim eſt modus Deum colendi. Unde Seneca ait: *primum Deorum cultum eſſe, Deos credere.*

§. 2. Quum vero multis modis ratio nos de iſta veritate certiores reddat; hinc etiam variis modis poſſumus Exiſtentiam Dei probare. Ante omnia recte argumenta diſtinguuntur in difficiliora & faciliora. Difficiliora ea ſunt, quæ haudquaquam captui omnium conveniunt; ſed illis tantum proponi debent, qui meditationibus metaphyſicis ſunt adſueti. Talia ergo nunc quidem haud adferemus multa. Neque etiam publicis Orationibus, ſeu Concionibus ad populum conveniunt, ubi ea ſemper ſunt ſeligenda, quæ omnium aut ſaltem plerorumque captui ſunt accommodata.

§. 3. Antequam vero ulterius procedamus, præmittenda eſt definitio nominalis, unde pateat, quid per *Dei* nomen intelligamus.

gamus. Nam quod ad definitionem rei attinet, seu accuratiorem explicationem, quid Deus sit, ea tum dari potest, cum attributa s. perfectiones Dei consideraverimus. Sed ne tum quidem erit plena aut adæquata. Nam homo Ens infinitum perfecte nunquam capiet, nec per consequens plene describere poterit.

§. 4. Intelligimus ergo Deum nominantes, *Ens, quod a se est, & a quo omnia cetera Entia suam existentiam habent.* Cum ergo quæritur: *an Deus sit?* quæritur; *an detur aliquod Ens a se, quod omnibus ceteris Entibus existentiam suam dederit?* Hoc est ergo, quod probare debemus.

§. 5. *Argumentum* 1. sumitur ab *Existentia aliorum Entium.* Intelligimus enim per Sensus nostros, plurimas Res existere; quas omnes conjunctim sumtas, & in certa dispositione ad motum & actionem accommodata consideratas vocamus *Mundum.*

§. 6. Jam vero Entia illa, adeoque Mundus ipse, aut a se est, aut non est a se. Non enim datur tertium. Si Mundus a se esset, sequeretur, illum *Deum* esse, sicut in definitione traditur. Sed valde absurdum est, Mundum pro Deo habere.

§. 7. Deus enim non tantum a se est, sed & caussa est omnium ceterorum Entium, *per def.* Mundus autem non potest

esse

esse causa ceterorum Entium, quia nulla talia existere intelligimus extra Mundum. Et hic sui ipsius caussa esse non potest. Aliter probatur Mundum non esse a se. Quod est a se, illud ab alio non pendet. Mundus autem pendet ab alio, idque tam ratione formæ, quam ratione materiæ. Prius, quia est mutabilis; independens autem non est mutabile. Posterius; quia materia non potest esse sine forma: hæc autem pendet ab alio. Vid. *Werens.* Op. T. 2. p. 254. Eodem argumento usus est *Grotius* Ver. R. C. l. 2. Arg. idem aliter propositum. Mundus est mutabilis: ergo contingens: ergo habet caussam; ergo est Deus.

§. 8. Sunt & alia argumenta, quibus probatur *Mundum non esse a se.* Hæc petuntur 1. ex Attributis divinis, quæ necessario ab Existentia a se fluunt, qualis est æternitas, immutabilitas, simplicitas &c. 2. Ex Attributis, quæ inesse debent Enti, quod omnium Entium caussa fuit, qualis est Intellectus sapientissimus & Voluntas liberrima. Ista attributa constat Mundo convenire. Ideoque Mundus non est a se, nec potest pro Deo haberi.

§. 9. Si ergo Mundus ab aliqua caussa est, quænam erit illa caussa? Profecto non alia, quam Deus. Hic enim est Ens a se,

quod

quod omnibus aliis Entibus, id est, Mundo, existentiam dedit. Ita colligimus, *Deum existere, quia existunt alia.*

§. 10. Arg. 2. Speciale est. Sicuti primum petebatur ab Existentia quorumcunque ceterorum Entium; ita hoc ab *Existentia Entium rationalium, s. cogitantium.*

§. 11. Dubitari non potest, dari Entia rationalia. Idque non solum cum quis in seipsum descendit; sed etiam cum attendit ad actiones aliorum Entium; ex quibus videt quasdam tales esse, ut sine ratione fieri haud potuerint.

§. 12. Jam vero, si dantur Entia intelligentia, colligimus ista aut semper fuisse; aut aliquando esse cœpisse. Prius falsum esse facile intelligitur, & rationi adversatur, omnia Entia rationalia, qualia nunc sunt, ab æterno fuisse, sicut mox demonstrabimus, quando de æternitate Mundi agemus. Ergo aliquando esse cœperunt.

§. 13. Si initium habuerunt hæc Entia cogitantia, sequitur porro, illa habuisse caussam, a qua producta sint. Nam ex nihilo nihil fit, & nihil producitur sine caussa. Caussa Entium cogitantium debet esse Cogitans, Intelligens, Rationalis a se; alioqui tales res producere non potuisset. Hinc sequitur esse *Deum*, qui solus est a se.

§. 14.

§. 14. Porro ad istud confirmandum addi potest, non tantum ideo necessarium esse, ut Ens a se & æternum sit intelligens, quia non potest esse plus perfectionis in effectu, quam in caussa; quod tamen ita esset, si statueremus Entia intelligentia non habere caussam intelligentem.

§. 15. Verum etiam res ipsæ corporeæ omnis generis sunt sapienter & cum ratione factæ. Hinc est illarum pulchritudo, ordo, convenientia inter se & cum aliis; unde rursus patet, necessario existere debere Ens aliquod Sapiens, & ratione præditum, quod illis Corporibus existentiam dederit.

§. 16. Arg. 3. ducitur a propiore consideratione *Originis, quam Mundus debuit habere.* Ubi ante omnia probandum est, *Mundum non esse ab æterno.* Hoc vero cum dicimus, non intelligimus easdem prorsus res, quæ nunc sunt, ab æterno non fuisse. Nam istud saltem de plerisque rebus statuere nemini in mentem veniet. Sed Mundi æternitatem negantes, negamus æternam rerum successionem dari, ita ut aut homines, aut animalia, aut plantæ, quæ nunc sunt, ita aliis successerint, ut omnino nullum fuerit initium.

§. 17. Talem mundi æternitatem impugnamus 1. Ex eo, quod *non habemus pro-*

babiles

babiles Historias, quæ ultra antiquitatem 6000. *annorum adscendunt.* Dico: *probabiles Historias.* Nam de Antiquitatibus Chaldæorum, Ægyptiorum & Sinensium facile probatur; illas esse fictas & fabulosas. Sic certum est, errasse veteres, cum tradiderunt *Chaldæorum* Regnum ante diluvium Noæ durasse per 120. Saros, quorum singuli contineant annos 3600. Debebant dicere, Sarum continere 3600. dies, qui conficiunt annos 10. 360. diebus constantes; ita inveniretur Chaldæorum antiquitas ante diluvium 1200. annorum, quod Historiæ Mosaicæ non contradicit.

§. 18. Similiter & apud Herodotum, Platonem, Diod. Siculum, Berosum, Manethonem invenimus amplissimos numeros durationis *Regni Ægypt.*, qui partim ex supputationibus Astronomicis effecti, partim aliunde excogitati sunt. *Sinensium* antiquitates quoque in immensum auctæ fuerunt. Post diligentiorem vero inquisitionem repertum est, certiores aut probabiliores Historias Sinensium circiter annis 600. post diluvium Noachi incipere. Imo constat ex Hist. Sinens. Mandarini cujusdam, apud eos nihil esse antiquius 2. vel 3. Sæculis ante Christum, quod fidem mereatur. (a)

(a) Si vera sunt, quæ in Histoire Univ. par une Societé des Gens de Lettres T. 1. p. 211. not. referuntur.

§. 19. Quod si vel maxime his regnis antiquitatem remotissimam concederemus; non sequeretur tamen Mundum & genus humanum initio caruisse. Nulla enim est proportio numeri maximi cujuscunque ad æternitatem. Adeoque semper maneret argumentum ab novitate Historiarum. Id autem tale est. *Si ab æterno fuerunt homines, oportet ab æterno fuisse Imperia, Bella, res alias memorabiles. Atqui hæc non fuerunt, Ergo &c.*

§. 20. Usi sunt hoc arg. etiam veteres Philosophi, qui contra *æternitatem Mundi*, quam alii statuebant, disputant. Fuerunr enim jam olim annis plus quam 400. ante C. de hac opinione disputationes. Plurimi æternitatem Mundi statuebant. Alii contendebant, eum initium cepisse, sed ratione diversa. Nam *Epicurei* ex fortuito Atomorum concursu natum credebant, de quo errore postea. *Platonici* vero statuebant a Mente quadam intelligente eum creatum.

§. 21. Observabimus hic in transitu, multos ex Christianorum doctoribus post *Clementem Alex.* existimasse, *Platonem* statuere, Mundum ex nihilo creatum a Deo; immo etiam hanc suam Sententiam cum aliis doctrinis suis ex Mose & ceteris Hebræorum scriptis hausisse. Verum ab aliis clarissime probatum est, posterius pariter

atque

atque prius falsum esse, & *Platonem* duo æterna omnium rerum statuere principia, *Deum & materiam.* Ubi nos quidem existimamus errari circa materiæ æternitatem. Sed de illa quæstione nunc non agimus. Sufficit in præsentia *Platonem* initium Mundo & auctorem Deum tribuere quoad formam.

§. 22. Utebantur autem *Platonici & Epicurei* similibus argum. contra æternitatem Mundi, quibus nos utimur. Speciatim quidem contendebant, nihil in Historiis reperiri antiquius *Bellis, Thebano & Trojano*, quæ Sæculo XIII. ante C. N. gesta sunt; adeoque annis circiter 2800. post M. C. aut 1200. post diluvium, si calculos Hebræorum sequamur. *Usser.* in *Annal.* Excidium Trojæ anno M. 2820. adscribit.

§. 23. Fingamus compluribus Sæculis antiquiores etiam istas res esse, quomodo cum æternitate Mundi id convenit, nihil antiquius in Græcis Historiis reperiri, quum tamen apud illas Gentes antiquissimi fuerint Scriptores, qui adhibita omni diligentia nullas res antiquiores invenire potuerunt.

§. 24. Sed præterea notandum est, illa bella, quæ ponuntur antiquissima in Græcorum Historiis, tali tempore fuisse gesta, quo omnia adhuc fabulosa, i. e. figmentis

permista fuerunt. Certior enim, & suis eventibus connexa Historia incipit demum ab *Olympiadibus* Græcorum, quæ sunt instituta Sæc. VIII. ante Chr.

§. 25. Neque existimandum est, Græcos serius multo incepisse res gestas litteris mandare, quam aliæ gentes. Non enim minus quam aliæ valuerunt ingenio, sed potius ceteras gentes & ingenio & litterarum studiis superarunt.

§. 26. Multo minus objici potest, Græcos tempore originis ceteris Gentibus multo fuisse posteriores. Si enim ab æterno fuisset Genus humanum, oportet necessario etiam Græciam ab innumerabilibus Sæculis fuisse habitatam. Sin autem ex Historiis pateat, id secus esse, necessario colligitur, Genus humanum non esse ab æterno.

§. 27. Immo ipsum Diluvium, quod Græci tradiderunt accidisse eo tempore, quo *Ogyges* apud Athenienses regnabat, non antiquius est, secundum accuratiores Calculos Chronologorum, quam XVIII. Sæculis ante Chr. Atqui ante illud diluvium nihil ne fando quidem audiverant Græci. Nulla fuit antiquior traditio, nulla memoria. Unde *Varro* tempus *ἄδηλον*, *obscurum*, illo diluvio finiebat, incipiebatque *μυθικὸν*, *fabulosum*.

§. 28.

§. 28. Quod si ista diligentius consideremus, inveniemus non tantum Mundi novitatem inde generatim probari; sed etiam ipsius Historiæ *Mosaicæ* veritatem, quæ antiquitatem Mundi non facit majorem 40. Sæculis circiter ante Chr. Quum enim diluvium Noach. Sæc. XVII. post O. C. contigerit, supererunt fere 6. Sæcula ad *Ogygem*, qui *Jacobo* Patriarchæ fuit coævus, quo tempore Græcia jam potuit habitari, & sine dubio ob commoditatem situs habitata aliquandiu fuit.

§. 29. Objicere hic solent Æternitatis Mundi Patroni contigisse aliquoties *diluvia*, quæ omnem memoriam præteritarum rerum abolerent, aut calamitates, conflagrationes, pestilentias. Indeque factum, ut tantummodo rerum illas calamitates secutarum memoria superesset.

§. 30. Respondemus *primo*, si talia accidissent, debuisse aut totum genus humanum perire, aut non totum. Si totum periit, unde ergo post orti homines? An sponte nati, sicut fungi ex terra? Atqui hoc adfirmare non potest æternitatis Mundi patronus, qui non ortos homines, sed fuisse semper contendit.

§. 31. Si non totum periit genus humanum illis calamitatibus, sed aliqui superfuerunt; cur isti nullam rerum ante acta-

 rum,

rum, immo, ne ipsius quidem calamitatis, quam effugerant; conservarunt memoriam? Possuntne fingi adeo rudes illi, qui ex Mundo cultissimo supererant, ut nihil de rebus in eo gestis, nihil de artibus aut scientiis eo tempore excultis, aliisque tenerent? Possuntne fingi adeo negligentes, ut nihil de his rebus, immo nihil de maximo discrimine, quod evaserant, liberis & nepotibus suis traderent? Porro, an isti possunt fingi tam obliviosi, ut nescirent, neque posteritati traderent, se a paucis illis hominibus ortos esse, qui ex innumerabilis Multitudinis clade soli superfuerunt?

§. 32. *Secundo*; Si vel maxime concedamus, fuisse hujusmodi universales Calamitates; credibile tamen non est, omnia anterioris Mundi Monumenta, Urbes, Templa, Columnas, aut alia, quæ homines propagandæ Memoriæ caussa excogitaverant, ita penitus destrui potuisse, ut nulla superessent vestigia.

§. 33. Ubi quidem jure asserimus, homines ejusmodi Monumenta etiam ante Diluvia aut alias calamitates, quales finguntur, habuisse, idque propter duas caussas. 1. Homines natura semper Memoriæ suæ conservandæ fuere studiosissimi; cujus rei habemus documentum insigne in cona-

tu

tu Mortalium post diluvium ædificandi Urbem & Turrim, de qua re dicunt Gen. XI. 4. *Faciamus nobis Nomen.* 2. In æterna duratione Generis humani non poterant non plurima occurrere memorabilia, ex quibus saltem aliquid fuisset conservatum.

§. 34. *Tertio* quum Mundi novitas tot argumentis constet, non licet illi opponere Hypothesin neque in se probabilem, neque ulla ratione demonstrabilem. Talis enim & tanta res, quales sunt ejusmodi universalia diluvia, aut aliæ Calamitates, quibus omnis ævi antecedentis Memoria penitus perierit, non est tantum adfirmanda, sed probanda. Atqui nulla, ne quidem levissima, probatio adfertur.

§. 35. Nulla est talis eventus probabilitas, quoniam ex caussis naturalibus oriri non potest. Est enim Legibus Naturæ contrarium, oriri tale diluvium, quod omnia per totum terrarum Orbem ab omni æternitate facta & constructa Opera funditus perdat. Multo minus ulla alia calamitas id efficere potuit.

§. 36. Nulla est ratio, nullum argumentum, quo probetur, hujusmodi quid contigisse. Nulla enim exstat hujus rei traditio, seu firma seu infirma. Nullum monumentum, nullum indicium, illo diluvio excepto, quod in S. Litteris tra-

 ditur,

ditur, sed quod Atheis haudquaquam favet.

§. 37. Diluvia, quæ in Gentium quarundam traditionibus antiquissimis memorantur, vel particulares fuerunt Oceani exundationes, vel ex Memoria Noachici diluvii manifeste efficta. Sic *Ogygis*, & *Deucalionis* temporibus diluvia fuerunt particularia per Græciam. De *Ogyge* testatur *Orosius* L. I. C. 7. „Ante annos V. C. „1040. *in Achaja* sævum diluvium, vasta„tione plurima *totius fere provinciæ* fuit." De *Deucalione* Just. II. 6. „Amphyctionis „temporibus aquarum illuvies *majorem par*„*tem* populorum Græciæ absumsit. *Super*„*fuerunt*, *quos* refugia montium recepe„runt, aut ad Regem Thessaliæ *Deuca*„*lionem* ratibus evecti sunt; a quo propter„ea genus hominum conditum dicitur." Poëtæ hæc deinde suis figmentis ultra modum augendo universalibus similia fecere. Quæ vero diluvia in *Chaldæorum* & *Ægyptiorum* annalibus commemorantur, ea manifesto ex Noachici diluvii Memoria aliqua supersunt.

§. 38. De aliis Calamitatibus, ut peste, bello &c. non tantum eadem dici possunt, quæ de diluviis; sed & peculiare hoc, quod istiusmodi mala multo minus, quam diluvia omnem rerum Memoriam abolere potuerunt.

potuerunt. Si *pestilentia* absumti fuissent omnes alicujus regionis incolæ, absque dubio ex aliis regionibus brevi post Coloniæ venissent, imprimis in commodiores regiones. Si *bello*; supererant hostes, eorum sedes occupantes. Ubi denique exemplum ejusmodi pestis aut belli?

§. 39. Hoc est arg. pro Origine Mundi, ab Historiarum novitate generatim sumtum. Utile fuerit idem ad specialia deducere.

§. 40. Consideramus igitur *primo* deductionem *Coloniarum*, per quas Orbis terrarum paullatim incolis repletus fuit. Ubi certissimum est, si Mundus fuisset ab æterno, homines jam inde ab innumerabilibus Sæculis totum Orbem habitaturos fuisse. Atqui Historia docet nos de multis iisque commodioribus & præstantioribus regionibus, eas ex Oriente temporibus haud adeo remotis colonias accepisse, quum antea essent incultæ desertæque.

§. 41. Ita, quantum ex antiquissimis Historiis colligere possumus, illæ ante ceteras hominibus repletæ fuerunt regiones, quæ circa Euphratem & Tigridem, duos nobiles fluvios, sitæ erant, ubi & antiquissima constituta fuerunt imperia, Chaldæorum s. Babyloniorum, & Assyriorum. Inde crescente paullatim multitudine, ut

illæ regiones eam continere non possent, cœperunt habitationes suas dilatare tam versus Orientem & Septentrionem, quam versus Meridiem & Occidentem, illis tamen potissimum regionibus delectis, ubi & aër temperatior, & vita commodior esse videbatur.

§. 42. Hac ratione complura Sæcula præterierunt, priusquam illæ regiones incolas acciperent, quæ navibus peti debebant, quales sunt partes meridionales Græciæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, totiusque adeo Europæ; immo & superiores & mari mediterraneo adjacentes partes Africæ Septentrioni obversæ. Quapropter certum est, primos Colonos ex Ægypto & Phœnicia, regionibus maritimis Orientis, in Græciam ceteramque Europam venisse.

§. 43. Idque, secundum antiquissima Græcorum monumenta, contigit aliquot Sæculis post diluvium Noachicum. Nihil enim antiquius habet Historia Græcorum, quam regnum *Ægialei* apud *Sicyonios*, quod si verum esset, referri deberet ad Sæculum 3. post diluvium. Sed non contemnendis argumentis probatum est ab eruditis, omne id regnum fictum esse & fabulosum. Adeoque *Argivorum* regnum, quod *Inachus* Sæc. V. post dil. condidit, aut serius, habetur pro primo regno Græciæ.

§. 44.

§. 44. Cumque isti advenirent in hanc regionem cum suis, invenerunt desertam prorsus & incultam; unde facile fuit, ibi sedes deligere quam commodissimas, ubi tamen & ipsi sat duriter debebant vivere, donec variis artibus excogitatis aut aliunde acceptis sibi melius prospicerent.

§. 45. Sic in Italia antiquius nihil *Aboriginibus*, quæ Gens persuadere aliis conabatur, sese non aliunde advectos, sed in ipsa regione primum natos atque ortos. Iam vero horum memoria antiquissima non adscendit ultra nonum Sæc. post dil. Ita ut Sæc. Xmo demum antiquissimi Reges, *Janus*, *Saturnus*, &c. inveniantur. Quæ certe novitas incolarum & regnorum in regionibus tam frugiferis & commodis prorsus incredibilis esset, si Genus humanum non dicam ab æterno fuisset, sed saltem pluribus Sæculis antiquius esset, quam Historia S. docet.

§. 46. Neque hic objici potest, fortassis fuisse incolas adventu illarum Coloniarum antiquiores: Nam primo hoc sine fundamento asseritur. Dein patet, tempore advenientium harum Coloniarum aut nullos fuisse incolas, aut paucos. Alioqui non admissæ fuissent Coloniæ. Veteres incolæ non passi essent advenas loca maritima, id est, commodissima, & simul ferti-

fertiliſſima occupare; unde colligitur, illa fuiſſe vacua.

§. 47. Fingamus, aliquam hominum multitudinem patria ſua noſtris temporibus egredi, ad novas ſedes quærendas. Quid illa proficeret, ſi in regionem incolis repletam veniret, ubi ne unum quidem agri jugerum eſt, quod Dominum ſuum non habeat? Nonne velut Latronum Cohors, omnium incolarum concurſu rejicerentur? Hinc videmus, eos, quos patriæ ſuæ tædet, non cultas, ſed tales terras adire, ubi vacui ſoli multum eſt.

§. 48. Conſideramus *ſecundo* Inventionem *Artium* & *Scientiarum* apud Græcos, quæ vel ad commoditatem vitæ, vel ad ejus defenſionem ſunt utiles & neceſſariæ. Hic certe nemo poterit ſibi perſuadere, iſtam inventionem tam recentem fore, ut Hiſtoriæ nos docent, ſi Genus humanum fuiſſet tam antiquum, multo minus, ſi æternum.

§. 49. Quid eſt hominibus magis neceſſarium *Agricultura?* Atqui ſecundum Marmora Arundelliana, antiquiſſimum & fide digniſſimum Græcæ Hiſtoriæ Monumentum; *Ceres*, quæ frumentum ferendi modum prima Græcos docuit, & propterea inter Deas relata eſt, circa a. 1409. ante Chr. in Græciam venit. Antea homines glandibus

glandibus aliisque sponte nascentibus alebantur, aut pecuariam, non agriculturam exercebant.

§. 50. Sic inventio *ponderum* & *mensurarum*, adde etiam *Monetæ*, *Phidoni* Argivo tribuitur, qui vixit circa a. 895. ante C. Primam *navem* ex Ægypto in Græciam adduxit *Danaus* a. 1511. ante C. quæ tamen rudior fuit. Quid de arte *sculpendi*, *pingendi*, *scribendi*? quid de *Astronomia* aliisque scientiis dicemus? Quarum initia valde rudia, nec tamen admodum antiqua apud Græcos fuerunt.

§. 51. Non possunt autem artes *sculpendi* atque *pingendi* pro minus necessariis, adeoque talibus haberi, quibus facile Græci carebant. Nam Religio illorum maximam partem consistebat in adoratione statuarum & pictarum imaginum. Has ergo conficiendi ars requirebatur, eamque exercendi atque perficiendi quotidiana erat occasio. Hinc & apud Græcos maximi fiebat, ac diligentissime excolebatur.

§. 52. Nec inutilis est consideratio initii & perfectionis *Philosophiæ* & *Scientiarum* apud Græcos. Nihil celebrius est Septem Sapientibus, in quibus *Thales* Milesius præcipue floruit. Vivebant Sæc. VII. ante C. ac tantopere celebrantur, non quod adeo insignem doctrinam sibi acquisiverint:

[Nam

[Nam quæ de illis supersunt, haud magni hodie æstimantur.] Sed quod stupendum illis temporibus videbatur, eadem ætate in universa Græcia Septem inveniri homines, qui aliquid saperent. Quis non videt, ceteros fuisse tum quidem adhuc omnium rerum imperitos; hanc primam veluti fuisse Philosophiæ infantiam? hoc primum initium?

§. 53. Quomodo autem nobis persuadebimus, si æterna fuisset Natio Græcorum, eam in hac ignorantia mansuram ad VII. Sæc. ante C.? Imprimis cum videamus, post *Thaletem* intra 400. annos summum cacumen apud Græcos Philosophiam attigisse. An hebetiores antea fuerunt Homines, quam post? Non certe: Sed origo illorum aliquot tantum Sæculis præcesserat, & tempora præcedentia sustentationi vitæ erant unice impendenda, donec variis artificiis inventis plus otii ad contemplationem nanciscerentur.

§. 54. Possemus speciatim de *Astronomia* agere, & ostendere, antiquissimas Observationes Astronomicas quas etiam apud Gentes huic disciplinæ deditissimas invenimus, tales quidem, ut iis fidere queamus, non multum ascendere ultra 2000. annos ante C. Immo apud Græcos, Gentem sollertissimam, quingentis annis ante C. adhuc

adhuc videmus, non vulgo tantum; sed ipsis primoribus, ignotas fuisse caussas Eclipsium, adeo ut illas pro prodigiis haberent, iisque a rebus gerendis tanquam tristi omine absterrerentur: cujus quidem rei multa Exempla nobis Historia tradit.

§. 55. Asserit quidem *Diodorus Sic.* Chaldæos jactavisse, se habere Observationes innumerabilium fere Sæculorum. Sed multo accuratius nos edocet de his rebus *Simplicius* in Comment. in Aristot. L. 2. de Cœlo; ubi narrat, istum Philosophum Callistheni discipulo, cum Alexandro M. in Orientem proficiscenti, mandavisse, ut observationes Chaldæorum astronomicas diligenter inquireret: sed istum antiquiores non invenisse, quam 1903. annorum antecedentium. Hoc quidem tempus adscendit usque ad illud Sæculum, quo facta est, secundum Historiam Mosis, dispersio populorum post Linguarum confusionem; sed multum abest, ab illis temporibus, quæ apud Diod. Sic. reperiuntur. Unde & Veteres jam illam Chaldæorum jactantiam refellebant.

§. 56. Non inutile erit etiam addere Observationem de inventione *Litterarum* & *Artis scribendi.* Certum est, eam artem non quidem absolute necessariam esse, quippe multi sunt homines, imo integræ natio-

nes,

nes, quæ ea carent: sed tamen adeo utilem & commodam, ut nullo modo credibile sit, totum genus humanum vel ab æterno, si æternum statuatur, vel inde ab innumerabilibus Sæculis, ea cariturum fuisse.

§. 57. Jam vero constat ex certissimis Historiarum Monumentis, *Cadmum* primum fuisse, qui in Græciam Litteras intulit. Vivebat autem Cadmus Sæc. 16to. ante C. Veniebat ex Phoenicia, aut ut alii ex Ægypto ipse Phoenix, in Græciam, unde factum, ut antiquissimæ Græcorum litteræ Phoeniciis essent similes. Quod iterum est argumentum pro novitate Græcorum, immo etiam Phoenicum, qui tamen Græcis antiquiores. Nam *Cadmus* 16. tantum litteras docuit, ceteras postea addidere *Palamedes* ac *Simonides*. Unde patet, Phoenices, a quibus profectus Cadmus, tantum 16. Litteras eo tempore habuisse Jam vero constat, Mosen, adeoque Ebræos, jam habuisse 24. Fuit ergo imperfectior apud Phoenices Scriptura, quam apud Ebræos, adeoque recentior.

§. 58. Longa & difficilis est disquisitio, de primo Litterarum inventore. Quidam ipsum *Adamum* fuisse, vel potius artem a Deo per Revelationem didicisse, existimant. Et his quidem favet ipsius artis singularis

gularis præstantia, & mirabilitas. Quid enim mirabilius, immo quid divinius est, quam artificium, quod per diversas combinationes 24. Characterum innumerabiles voces exprimit, & facit, ut non cum absentibus tantum colloqui & longe dissitis possimus; sed etiam ut posteritas omnium Sæculorum nostras cogitationes, sermones, actiones, scientias, cognoscere queat, sicut nos veterum res cognoscimus.

§. 59. Sed complures sunt rationes, quæ nos de hac re jubeant dubitare, ex quibus duas tantum adferemus. 1. Non probabile est ab *Adamo* jam adhibitas litteras, quia nullum invenimus istius artis ante Mosen in S. Litteris vestigium. Neque omnino constat, ex tot divinis revelationibus, quæ ante Mosen Patriarchis factæ sunt, ullam fuisse scripto consignatam; quod etiamsi necessarium non erat iis temporibus, fieri tamen potuisset, si ars scribendi fuisset nota.

§. 60. 2. Non existimo, pro certo habendum, ab *Adamo* inventas litteras, quoniam alioqui probabile esset, omnes Gentes, quippe ab uno isto ortas, eadem scribendi ratione, aut saltem characteribus haud omnino dissimilibus, tanquam a communi Parente acceptis, usuras fuisse. Atqui notum est, quarundam gentium

antiquarum diversissimas esse notas, quibus scribunt. Sic aliæ fuerunt litteræ Ebræorum, aliæ Samaritanorum, aliæ Arabum. Ægyptii non litteris; sed imaginibus utebantur, quæ dicuntur notæ hieroglyphicæ, quod & Sinenses faciunt, quorum tamen notæ diversæ sunt a notis Ægyptiorum. Immo aliquando Sinenses lineolis rectis tantum diverso junctis modo voces exprimebant. Porro aliæ Gentes a dextra ad sinistram, aliæ a sinistra ad dextram, aliæ a summo ad imum, aliæ tandem ab imo ad summum, scribunt. Hæc certe non eandem prorsus originem indicant.

§. 61. Cogitabit fortasse aliquis, artem scribendi diluvio periisse, atque postea denuo repertam. Sed frustra. *Noachus* enim profecto cum filiis rem tam egregiam conservasset. Tumque eadem prorsus recurrunt ratiocinia. Unde simul colligitur, ex iisdem prorsus rationibus, Noacho haud notam fuisse hanc artem. Unde porro fluit, non ita diu ante *Mosen*, temporibus Servitutis Ægyptiæ, eam innotuisse, neque citius. Non enim existimaverim, *Mosen* demum Scripturæ inventorem, licet is fuerit primus scriptor, qui exstet. Nam circa eadem tempora Phœniciis s. Chananæis jam nota erat Scriptura, quam Phœnicius

Cadmus

Cadmus vel ante Exitum Iſraëlit. ex Ægypto, vel brevi poſt in Græciam detulit.

§. 62. Talia ſunt argumenta hiſtorica, quibus æternitas Mundi poteſt refutari. His poteſt novum robur addi per obſervationem unanimis fere conſenſus omnium hominum, etiam Philoſophorum, paucis exceptis, aliquod Mundi initium ſtatuentium. Sic jam ante vidimus, *Democritum* & *Epicurum*, eorumque Sectatores, quamvis negarent, Mundum a Deo conditum eſſe, acerrime tamen impugnaviſſe ejus æternitatem. Ex ceteris, qui ſtatuebant Mundi æternitatem, quales ſunt *Ariſtotelici* & *Platonici* multi; illi haudquaquam negabant Exiſtentiam Dei, ſed ſtatuebant, Mundum ab æterno ex Deo emanaſſe, aut a Deo productum eſſe, aut ſaltem materiam Mundi eſſe æternam.

§. 63. Alia argumenta contra æternitatem Mundi, quæ Metaphyſica ſuppeditat, magno numero prætermittimus, quippe quæ nimis abſtracta ſunt, & pauciſſimorum captui accommodata. Quæ adlata ſunt, docilibus & probis hominibus ſufficere poſſunt. Indocilibus & improbis hominibus nec cetera ſatisfacient, immo nulla, donec voluntatis depravationem depoſuerint, & vitam emendaverint animumque.

§. 64. Si ergo *Mundus initium* habuerit, quæritur, unde? Estne *a se productus*, an *casu ortus*, an tandem *a Deo creatus?* Alia ratio non datur, qua Mundum ortum cogitari possit.

§. 65. *Mundus a se productus* non est. Nam ex nihilo nihil fit, nec potest nihil aliquid producere. Mundus autem antequam existeret, fuit nihil. Porro eadem res non potest esse sui caussa simul & effectus. Unde sequitur, Mundum a seipso productum non esse.

§. 66. *Mundus casu ortus* non est. Primum enim, hæc hypothesis supponit ab æterno exstitisse *materiam & motum*, quod tamen absurdum est. Ut nihil dicam de *Materia*, per quam nihil effici potuisset sine *Motu*; an fieri potest, ut *Motus* sit ab æterno in materia? Quidquid movetur, ab alio movetur. Oportet ergo, ut motus habeat primam aliquam caussam, adeoque non sit ab æterno. Porro, si *Motus* esset æternus in *Materia*, oporteret eum esse Materiæ essentialem. Atqui non est essentialis, quoniam non omnis materia movetur, & quæ aliquando movetur, alio tempore quiescit. Unde rursus patet, Mundum non casu productum esse.

§. 67. Atheorum istud Systema, quod & *Epicureorum* est, Deos quidem statuentium,

tium, sed a Mundi vel productione vel gubernatione removentium, hoc jam solo argumento evertitur. Sed alia sunt non omittenda. Eorum vim, ut sentiamus, considerabimus propius hoc Systema. Nusquam autem aptius exponitur, quam apud *Lucretium* Libr. V.

- Quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possent congressa creare;
Propterea fit, uti magnum vulgata per ævum
Omnigenos cœtus & motus experiundo,
Tandem conveniant ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fiant exordia sæpe,
Terrai, Maris & Cœli generisque animantium.

§. 68. Summa huc redit: Ex infinito tempore corpusculorum, seu Atomorum, infinitam multitudinem perpetuo motu agitatam fuisse, ita ut conveniendo iterumque digrediendo, modo hæc, modo alia corpora componerentur. Tandem vero post infinita tentamina, per felicem hujusmodi conjunctionem, Terram, Mare, Cœlum & animantia, adeoque hoc Universum esse natum. Quis non videt absurditatem hujus figmenti?

 §. 69.

§. 69. Sed ut omnia clarius pateant, observamus, hoc universum ita comparatum esse, ut sine prudenti consilio oriri seu produci non potuerit. Quod si probatum fuerit, sequetur casui tali, seu fortuito motui Atomorum adscribi id non posse. Casus enim & fortuitus motus caret consilio; cæcus est, neque potest aliquid sapienter producere.

§. 70. Universum sine prudenti consilio non potuisse oriri, patet ex eo, quod si non omnium, saltem multarum ejus partium, videmus certos fines esse & usus, ad quos adsint; his dein finibus omnia sic attemperata esse, ut aptius nihil fieri possit. Jam vero prudentia & consilium in hoc ipso consistit, quod 1. certus isque bonus finis eligitur; 2. media ad eum consequendum apta adhibentur. Utrumque in hoc universo factum esse, aliquot exemplis declarabimus.

§. 71. Consideremus *Solem*, quem patet, Lucis & Caloris, adeoque vitæ & fœcunditatis omnis fontem esse. Quis non videt, Solem hoc fine conditum, ut terram illustret ac calefaciat. Ad hoc omnia comparata sunt, Natura, Magnitudo, Longinquitas, Motus, & cetera Solis attributa, ex quibus si unum abesset, aut

aut aliter se haberet, jam non aptus esset *Sol* ad ea producenda quæ debet.

§. 72. *Terra* vero nonne aperte hunc habet finem, ut homines & animalia cetera sustineat, & nutriat? potuissetne aptius constitui? Nulla certe sapientia quicquam præstantius excogitare potuisset. Quanto minus ergo credemus casu talem fuisse productam?

§. 73. *Animalium* corpora ita sunt facta, ut nulla sit pars, quæ non certum habeat usum ad vitam aliamve rem convenientem, sicut hoc ab Anatomicis demonstratur. Hocque valet tam de internis quam de externis. Quis non sentit, oculum factum esse ad videndum, aurem ad audiendum &c. Jam vero ad videndum atque ad audiendum tot res concurrunt, quas casus fortuitus in unum conferre, & concinno ordine disponere nullo modo potuisset.

§. 74. Hæc pluribus diducta sunt a *Derhamo*, *Nieuwentyto* aliisque Philosophis ac Theologis, & firmissimum contra Epicureos formant argumentum. Cui unquam in mentem venit, ædificium aliquod commode ordinatum fortuito concursu materiæ; picturam insignem, colorum temeraria projectione; carmen egregium temeraria confusione characterum exortum?

§. 75. Si ergo Mundus nec ab æterno fuit, nec factus est casu, sed sapientia summa, quam quidem concipere possumus, productus est; sequitur illum a *Deo* creatum, adeoque *Deum existere.*

§. 76. *Argumentum* 4. petimus a *Conscientia* cujuslibet hominis, ejusque monitis, stimulis, increpationibus, minis ac tormentis in sceleratis, suavissima delectatione ac tranquillitate in bonis. Unde hæc omnia oriri potuissent, nisi *Deus* esset? Quis terret improbos; nec infimos tantum, sed & summos Principes, etiam in occultis facinoribus? Quis exhilarat pios; quis consolatur etiam in gravissimis adflictionibus? Quis excitat *cogitationes quæ se invicem accusant aut excusant*, Rom. II. 15. Quis, nisi *Deus*, occultorum inspector?

§. 77. *Argumentum* 5. huic robur addit, & quamvis per se rem non prorsus conficeret; summe probabilem tamen constituit. Hoc deducimus ex communi omnium Populorum, immo omnium, exceptis paucis, hominum, *Consensu*, circa hanc de existentia Dei sententiam. Vide & *Grot.* V. R. C. I. 2.

§. 78. *Consensus* iste probatur ex omnibus omnium temporum Historiis, & ipsa quotidiana experientia. Hoc intelligebant jam antiqui Philosophi, adeoque te-

stes

ſtes ſunt illius veritatis. *Cicero* de Nat. Deor. L. I. c. 16. hæc eleganter diſſerit, atque inter alia ait: *Nulla est gens tam fera, tam immanſueta, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat.*

§. 79. Quod autem hoc ſit veritatis argumentum, aliquid omnibus videri, probatur ex eo, quod talis perſuaſionis Origo ab ipſa *Natura* ſit neceſſario repetenda. Alias non potuiſſet omnium Mentes, omnibus temporibus, obſidere. Quod ut pateat, examinemus Atheorum opiniones, de *Origine Ideæ Dei.*

§. 80. Quidam Athei exiſtimant, communem illam de Exiſtentia Dei perſuaſionem ortam ex humanæ imbecillitatis conſcientia, & inde nato metu, unde crebro in ore habent illud *Petronii*: *Primus in Orbe Deos fecit Timor.* Alii addunt ignorationem cauſarum, per quas res in Mundo fiunt; quapropter ex *Virgilio* canunt:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

§. 81. Sed iſti magnopere falluntur: 1. quia concipi non poteſt, aliquam Opinio-

nem ex solo Timore universum genus humanum accepturum esse. Ut enim fateamur, multos esse propriæ imbecillitatis conscios, & propterea timidos, aut caussarum ignaros: Sunt tamen & multi feroces, temerarii, ἀνθάδεις, caussarum naturalium peritiores, aut sibi saltem tales esse videntur. Cur isti nec se nec alios isto metu, & inde nato præjudicio liberare potuerunt?

§. 82. 2. Unde est hæc infirmitatis humanæ apud omnes conscientia? Unde Metus? Unde suspicio, præter caussas, quas videmus, esse quoque aliam quandam caussam superiorem ceteris & potentiorem? Nonne hæc ex ipsa Natura ortum ducunt, quæ ad hujusmodi universalem & perpetuam persuasionem homines movit.

§. 83. Nullius certe Opinionis exemplum adferri potest, quæ omni tempore apud omnes Gentes constanter fuerit recepta, nec tamen ullum habuerit fundamentum in ipsa rei natura ac veritate. Ipse *Polytheismus*, atque *Idololatria* orta nunquam fuisset, nec apud tot populos recepta, nisi Numen aliquod esse omnes credidissent.

§. 84. Neque certe *Polytheismus* nostræ argumentationi objici potest, tanquam exemplum erroris universalis. Nam 1. ille error

error habet in se aliquid veri, scilicet, existere Numen. 2. Consensus in eo non fuit universalis. Plebis tantum erat ea opinio, multos esse Deos, æquali cultu adficiendos. Sapientiores ubique aliter cogitabant loquebanturque, sicut Historia Philosophica docet; nempe unum esse Deum, cujus ceteri essent Ministri, & quasi Angeli. Multis id probat *Cudworth.* in Syst. intell. Univers.

§. 85. Alii ex Atheis consensus universalis hominum circa Existentiam Numinis rationem deducunt ex *Traditione* antiqua. Sed ab his quærimus, unde initium ducat illa traditio; quis illius Auctor? Si ab uno homine; quomodo ad omnes Gentes pervenit? An quia hic unus homo, auctor primus Opinionis de Deo, progenitor totius Generis humani fuit? Istud quidem Atheis non placet. Non enim possunt concedere, salvo suo errore, omnes homines ab uno originem ducere. Ergo alia via quærenda est, qua hæc opinio universorum mentes potuerit occupare.

§ 86. Dicunt ergo, fuisse antiquitus, nescio quo tempore, potentem aliquem Principem, qui primus senserit, Religionem fore commodissimam ad populos in officio continendos. Itaque eum paullatim ope callidorum quorundam hominum

hanc

hanc de Deo opinionem animis Subditorum instillasse. Cumque ceteri Principes & Magistratus per experientiam cognoscerent, eam esse firmissimum suæ auctoritatis præsidium, & arctissimum Societatis humanæ vinculum: imitatos esse priorem illius exempli auctorem; atque ita hoc *Invento politico* omnem Mundum veluti fascinatum esse.

§. 87. Huic suæ hypothesi admodum confidunt Athei. Existimant, nihil hic responderi posse, & ratiocinium esse omni exceptione majus. Quamobrem diligentius consideranda est hæc quæstio; an Religio, adeoque ipsa de Existentia Numinis persuasio, pro *Invento Politicorum*, ut vulgo loquuntur, haberi possit.

§. 88. Observamus ergo 1. Hoc esse merum figmentum Atheorum, nullumque adferri posse argumentum, quo illa hypothesis confirmetur. Res autem tanti momenti, quanti est Origo Religionis, qua certe nulla memorabilior est, sine firmissima probatione adferri non debet. Nam convenientia Religionis ad illum usum, quem Principes quæsivisse ajunt, pro argumento allegari non potest. Quod Religio apta sit ad Leges & auctoritates Principum firmandas, & ad populos in officio continendos, ex rei natura est, non ex hominum instituto.

tuto. Non negamus interim, Principes ac Legum Latores usos esse Religione ad sua commoda; sed cum ejus principia hominum animis jam essent insita: alioqui certe inseri haud potuissent.

§. 89. Observ. 2. Quis fuit ille Princeps, aut quo tempore vixit, qui Religionis frenum excogitavit? Hic tacent omnes Athei, & manifesto produnt, se fabulam narrare, quando ajunt, fuisse aliquo tempore Principem talem. Sic enim fabulæ solent incipi.

§. 90. Præterea, si percurramus Historias, nullum inveniemus tempus, quo non Religio aliqua vigebat. Unde patet, eam esse antiquissimam. Oportet ergo ex duabus rationibus alteram eligi. Aut Notio Dei per traditionem constantem ab ipso Generis humani primo progenitore ad omnes pervenit: Aut Natura duce, & ipsius rei evidentia ingeneratur. Utrumvis eligas, concludendum erit, veram esse illam rationem. Nos utrumque colligimus, & una conjungimus. Quæ Notio in ipsa Creatione primo homini instillata erat, ea quotidianis Naturæ documentis confirmata & ad evidentiam perducta, ceterisque tradita est, & ita ad omnes propagata.

§. 91.

§. 91. Hæc sunt illa quinque argumenta, quibus potissimum existimamus, Existentiam Dei probari cuilibet veritatis studioso. 1. Ab Existentia Mundi in genere. 2. Ab Existentia Entium rationalium. 3. A propiore consideratione Originis, quam Mundus debuit habere. 4. A Conscientia. 5. A communi gentium Consensu.

§. 92. Priora tria argumenta solent ab aliis comprehendi unico ratiocinio, quod deducunt a *Contingentia Mundi.* Idque ita procedit. Ens contingens est, quod posset non esse, vel quod posset aliter esse. Mundus est tale Ens contingens. Nihil autem est absque ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit, vel hoc potius modo, quam alio. Ergo Mundus habet caussam, quæ est *Deus*, isque solus est Ens necessarium.



CAP. V.

REFUTATIO ATHEISMI.

§. 1. POstquam ergo Existentiam Numinis probavimus, superest, ut Atheorum argumenta, quibus contrarium evincere

evincere conantur, examinemus, & objectionibus reſpondeamus.

§. 2. Primum quidem obſervamus, Atheismum nullo fundamento niti, nulla habere firma principia, adeoque nec demonſtrari poſſe. Athei probare deberent, non eſſe Deum. Ut hoc fieret, demonſtrandum eſſet, Notionem Dei eſſe contradictoriam. Hoc autem demonſtrari non poſſe, patebit ex ſequentibus. Nam quæ adferunt, aut falſis principiis nituntur, aut conſequentiæ errore peccant.

§. 3. Contendunt ergo Athei I. Homines nullam habere Notionem, ſeu Ideam Dei, eo quod Deus dicitur Eſſentia & Perfectionibus infinitis præditus. Infinitum autem eſt hominibus incomprehenſibile. Quicquid autem comprehendere non poſſumus, ejus nullam habemus Notionem.

§. 4. Reſp. Argumentum iſtud ludit in verbis Notionis ſ. Ideæ Dei, & comprehenſionis. Qui prima Logicæ elementa didicerunt, ſciunt varias eſſe Idearum Species, interque has dici alias *adæquatas*, alias *inadæquatas*. Sic etiam concipimus ſ. comprehendimus alia diſtincte & adæquate, alia confuſius & inadæquate.

§. 5. Idea adæquata illa eſt, quæ omnia objecti ſui attributa diſtincte repræſentat, ita ut nihil in eo obſcuri maneat. Talem

Dei

Dei Ideam non habemus, & ita concedimus, Deum a nobis comprehendi non posse. Nam finitum Ens infiniti conceptum adæquatum nunquam adipiscitur.

§. 6. Sed Notio inadæquata non minus est Notio, quam adæquata; sicut Idea confusa non minus est idea, quam distincta. Adeoque non est verum; cujus rei nullam habemus notionem adæquatam, illa non existit.

§. 7. Sic ex. gr. Ecquis negabit, nos habere Ideam Mundi, & quidem Ideam claram? Nam quilibet, audito sono; *Mundus*; novit, quid intelligatur. Sed, estne aliquis, qui dicere possit, se habere & distinctam, & adæquatam ideam Mundi? Ne summus quidem Philosophus hoc dixerit. Quis inde colligit, Mundum non existere, vel ejus existentiam dubiam esse?

§. 8. Dei autem Ideam homines habere, patet ex ipsa omnium & singulorum attributorum ejus consideratione & demonstratione. Si enim nullam haberemus, non possemus quidquam de eo adfirmare, aut demonstrare; immo ne ipsam quidem existentiam, quam tamen idoneis argumentis demonstravimus.

§. 9. Neque etiam dici potest, Deum a nobis concipi, tanquam Substantiam Spiri-

Spiritualem; talem autem ſub ſenſus non cadere, adeoque Dei Ideam non dari. Non enim tantum ideas ſenſuales habemus, quas ope ſenſuum primum formamus, dein vi imaginationis renovamus: Sed etiam talium rerum, quæ neque ſenſibus, neque imaginationi ſubjiciuntur. Tales ſunt Idea Subſtantiæ, Accidentis, Poſſibilis, Neceſſarii, Virtutis &c. Quidni ergo & ideam *Spiritus* ope puri Intellectus nobis formare queamus?

§. 10. Ut hoc clarius fiat, repetamus Definitionem Dei, ubi nullum invenietur vocabulum, cujus non claram habeamus ideam, quamvis iſtius Objectum haudquaquam ſenſibus ſe offert. *Deus eſt Ens a ſe, a quo omnia cetera Entia ſuam Exiſtentiam habent.* Vel pluribus attributis expreſſis: *Eſt Ens ſumme perfectum, optimum, ſapientiſſimum, quod neceſſario exiſtit, & cauſſa eſt omnium ceterorum Entium.* Quid hic eſt obſcuri, quamvis ſub ſenſus nihil cadat, præter ſonos vocabulorum.

§. 11. *Objiciunt* II. Athei; Ideam Dei, eſſe collectionem Attributorum, quæ neq eſſe, nec concipi poſſunt. Sed iſtam Obj. falſam eſſe patebit, quando ſingulatim de Attributis divinis agemus. Tum enim oſtendemus, illa nihil continere contra-

F dictionis,

dictionis, nihil impossibilitatis, quamvis perfecte comprehendi s. intelligi nequeant.

§. 12. *Obj.* III. Deus dicitur *Ens, quod creavit cetera Entia ex nihilo.* Atqui Creatio ex nihilo est impossibilis & contradictoria. Nam ex nihilo nihil fit, nec fieri potest. Ergo Deus non est, nec esse potest.

§. 13. Ad hanc obj. observandum est, 1. Axioma illud, si modo recte intelligatur, verissimum esse. *Ex nihilo nihil fit*, i. e. ex eo, quod non est, non potest aliquid fieri a se ipso; sed oportet, ut omne, quod est, vel incipit esse, habeat aliquam suæ existentiæ caussam. Hanc caussam oportet esse perfectiorem ipso effectu, & præterea habere vim creandi s. producendi id, quod antea non erat. Adeoque illud Axioma vim suam habet in rebus naturalibus, ubi naturaliter nihil generatur s. producitur ἐξ οὐκ ὄντων, *ex nihilo*, sicut etiam nulla res in nihilum redigitur.

§. 14. 2. Sed alia ratione possumus dicere, *ex nihilo aliquid fieri*; scilicet, dum Res aliqua, quæ non erat ante, potest existentiam accipere ab alia re, quæ jam erat. Atque ita nihilum nec est caussa efficiens, nec materia ejus, quod existit; sed significat tantum initium existentiæ ejus rei, quæ antehac non erat. Quin autem talis mutatio ab Ente infinita potentia prædito

dito produci poſſit, nullum eſt dubium, ſiquidem conſtat, *Creationem ex nihilo*, eo ſenſu, quem modo indicavimus, nihil contradictorii continere.

§. 15. *Obj.* IV. *Quidquid movetur, ab alio movetur*: ergo nullum eſt primum movens, ſed motus in infinitum alius ab alio productus eſt. ℞. Valet hoc Axioma de corporibus. Nullum enim corpus movetur, niſi ab alio corpore. Sed inde non ſequitur, motum corporum eſſe æternum. Prius enim probari deberet, nullas dari ſubſtantias incorporeas, quæ facultate corpora movendi polleant. Atqui hoc probari nullo modo poteſt.

§. 16. Immo potius ex eo Axiomate ſequitur contrarium. *Quicquid movetur, ab alio movetur.* Ergo aut ab omni æternitate exiſtit aliquod Ens, quod motum ceteris Entibus indidit; aut progreſſus Entium, quorum unum movet alterum, in infinitum absque principio ſtatuendus eſt. Atqui poſterius eſt abſurdum. Nam ita conſideratur hoc Univerſum, tanquam compages Entium, quæ ſingula ſuæ exiſtentiæ & ſui motus habent cauſſam, quorum nullum neceſſarium & independens; Eadem vero Entia conjunctim ſumta nullam habent cauſſam, adeoque ſunt neceſſaria & independentia: quod eſt contradictorium. Su-

pereſt igitur, ut prius admittamus, atque ita exiſtentiam Dei agnoſcamus.

§. 17. Quod vero exiſtant Entia incorporea, quæ tamen in corpora agere, eaque movere pro lubitu queant, tum probabimus, quando agetur de *Spiritualitate* Dei & Animarum humanarum. Sufficit nunc obſervare, nihil in talibus admittendis eſſe contradictorium.

§. 18. *Obj.* V. *Si Mundus productus eſt a Cauſſa intelligente, oportet intellectum fuiſſe ante Mundum.* Atqui hoc eſt impoſſibile, quia intellectus non eſt nec eſſe poteſt ante objectum ſuum. Mundus autem eſt objectum intelligentiæ divinæ. Oportet ergo Mundum cauſſam nullam habere.

§. 19. ℞. Intelligentiæ, imprimis perfectæ, objecta non tantum ſunt res extra ipſam exiſtentes; ſed & ipſa intelligentia ſui ipſius objectum eſt, quatenus in ſe ipſam reflectitur. Deinde ejus objectum ſunt non tantum res exiſtentes: ſed etiam res poſſibiles. Adeoque nihil eſt contradictorii, ſi dicamus, Ens intelligentia infinita præditum ab æterno exſtitiſſe, & cum ſui ipſius tum omnium rerum poſſibilium notiones ſibi repræſentaſſe.

§. 20. *Obj.* VI. Athei quidam adſerunt, Syſtema Mundi non ita comparatum eſſe, ut Sapientiæ Entis perfectiſſimi conveniat,

veniat, propter varios defectus qui in eo observentur.

§. 21. ℞. Nos existimamus e contrario, Systema hujus Mundi ita comparatum esse, ut fini, quem Sapientissimus Creator sibi proposuit, exactissime conveniat. Idque probamus 1. per considerationem defectuum, quos putant quidam in eo esse; loquimur autem de Physicis defectibus. Sed quum hæc ad Philosophos pertineant, non diutius illis insistimus. 2. Observamus multos creditos fuisse defectus propter temporis ignorantiam, qui nunc evanuerint, postquam accuratius omnia sunt cognita. Et quotidie propemodum nova deteguntur, quæ ostendunt usus singulares earum rerum, quæ antea inutiles creditæ fuerant: nec tamen adhuc perfecte omnia intelliguntur.

§. 22. *Obj.* VII. Cum Deus sit perfectissimus atque beatissimus, quid opus fuit, ut Mundum crearet?

§. 23. ℞. Opus fuit, ut posset perfectiones suas atque bonitatem aliis Entibus communicare, & ita gloriam suam manifestare. Deus enim perfectiones suas manifestans, necessario venerationem & Laudes suarum Creaturarum rationalium, quæ ratione sua recte utuntur, sibi conciliat. Unde & promovere Gloriam Dei

est officium Creaturæ rationalis; ejusque rei materiam Mundus suppeditat.

§. 24. *Obj.* VIII. Si opus fuit, ut Deus Mundum crearet; cur non citius creavit? Cur demum ante 6000. annos?

§. 25. ℞. Eadem quæstio objici posset, si ante 60000. ann. creatus esset Mundus, aut ante 600000. Semper enim Athei quærerent, cur tam sero? Nam quilibet numerus finitus, quantumlibet magnus, est instar puncti, si cum æternitate conferatur. Ergo sequeretur; Mundum ab æterno, aut nunquam, creari debuisse. Utrumque absurdum est. 1. Ab æterno creatum esse, est, nullum initium habere, i. e. creatum non esse; p. c. contradictorium. 2. Nunquam creari, repugnat §. 23. Creavit Deus, quia voluit, & cum voluit.

CAP. VI.

OBSERVATIO DE DAMNO ATHEISMI.

§. 1. *Atheismus* maxime nocet I. ipsi Atheo: II. Societati hominum & Reipublicæ.

§. 2. *Ipsi Atheo* nocet, quod illum privat omnibus commodis tam internis, quam externis, tam temporalibus, quam æternis Religionis, quæ commoda quanta sint, aliis locis demonstratur. E contrario exponit eum odio Dei & æternæ miseriæ, nec non odio bonorum omnium.

§. 3. Atheismus nocet aliis, ac toti *Reipublicæ*, Nam 1°. tollit vinculum inter Superiores & Inferiores. Si nullus est Deus, quis obligabit homines, ut Principibus & Magistratibus fideliter & lubenter obediant? Non certe metus, qui apud multos quidem valet; sed apud multos alios facile reliquis affectibus cedit. Non amor; quoniam odio potius habebit Atheus Superiorem, quem suæ libertati & cupiditatibus suis obstare putabit. Ita omnes Principes considerabit, ut Tyrannos, qui injusta vi ceteris dominentur. *Obj.* quosdam *Atheos* fuisse, qui honeste vixerint. ℞. fieri hoc potuit per naturæ temperamentum, aut per timorem, aut tranquillitatis amorem quendam nativum, quem tamen in paucis reperimus, cum plerique adfectibus in transversum agantur.

§. 4. Atheismus 2°. tollit vinculum Civium & subditorum inter se. Nec enim locum relinquit ulli juri, nec officio, nec justitiæ. Negato Deo negantur omnia hæc.

Quis ergo firmabit possessiones uniuscujusque? Non Deus; quia non creditur. Non conscientia; quia in Atheo locum non habet. Non Princeps; quia ejus nullum jus, nulla auctoritas.

§. 5. Ita comparatum esse Atheismum docet Ratio; docet Experientia. *Ratio*; quia unusquisque propriam utilitatem naturaliter quærit: Atheus autem credit, se nulla obligatione teneri, ad abstinendum a lædendo altero, si id sibi utile videatur. *Experientia*; cum videamus homines, quo minus habeant Religionis, eo magis esse vitiosos, injustitiæ imprimis & libidinibus deditos.

§. 6. Hæc observatio adjungi potest argumentis pro Existentia Dei, & Religionis alicujus necessitate, quod licet nihil demonstret, quemlibet tamen præjudiciis & affectibus non omnino obnoxium hominem permovebit, ut cetera argumenta eo facilius admittat.

§. 7. Deus vel existit, vel non existit. Si Deus existit, Atheus non potest effugere supplicia audaciæ suæ, quod improbitatis patrocinium suscipiens, Deum & Religionem contemnit. Si non existit, Atheus evertit fundamenta Societatis humanæ, atque ita omnium rerum perturbationem promovet.

§. 8.

§. 8. Ergo quidquid sit, Atheismus noxius ac periculosus est & ipsi & generi humano. Unde tutius erit Existentiam Dei & Religionis veritatem agnoscere, etiam si nulla adessent argumenta. Itaque apparet, illos insipienter agere, qui Atheismum & impietatem promovent, eique favent. Summi certe Imperantes, & qui sunt iis a Consiliis, si impietatis patroni sint, suam suorumque auctoritatem ipsi proculcant; quippe quæ nulla est, ubi exulat Dei Timor.

§. 9. Itaque & *P. Baylii* insanum fuit studium, quo probare conatus est, nocentiorem esse superstitionem, quam est Atheismus. Præstat enim qualemcunque, quam nullum Deum credere.

CAP. VII.

OBSERVATIO DE CAUSSIS ATHEISMI.

§. 1. LEvior quædam Cordis humani cognitio sufficit ad detegendas veras caussas Atheismi. Quum enim vitia voluntatis illum producant, facile concipimus, qui fiat, ut tam ineptis rationibus & infirmis Dei existentia impugnetur.

§. 2. Neque enim vis aut evidentia veritatis Atheum movet. Ea potius ad Religionem amplectendam impelleret. Neque etiam Existentia Dei, aut Religionis naturalis dogmata, habent aliquid rationi contrarium. Sed id quod Atheum movet, est consideratio Justitiæ & Sanctitatis Dei, item rationis de vita acta aliquando reddendæ. Si hoc atque alia hujusmodi ab Idea Dei & Religione removeri possent, paucissimi vel nulli essent Athei.

§. 3. Hæc est ergo vera Atheismi caussa: Vitæ morumque corruptio, & vis Conscientiæ, quæ dictat, si Deus existat, exspectandam fore pœnam. Quum autem vitia tantopere amet homo, illas cogitationes, quibus ab iis retrahi deberet, tanquam molestas, exuere studet, ideoque varios quærit prætextus, seu ratiunculas, quibus vim veritatis infringat, & contrarium sibi persuadeat. Id autem facile credimus, quod nostris cupiditatibus blanditur.

§. 4. Hinc fit, ut Religio Atheis videatur tam grave jugum, quo ut liberentur nihil non agunt. Non enim possunt Religioni dare nomen, nisi vitiis animi & cupiditatibus renuntient. Nolunt autem hoc facere; ergo levissimas quasque conjecturas objectionesque sat fortes autumant,

ut

ut *in Corde suo dicere possint, non est Deus.* Psalm. XIV. 1.

§. 5. Alia caussa Atheismi est Ambitio & cupiditas Gloriæ ex ingenii acumine consequendæ Multi enim existimant, dicteria in Religionem, quam *Superstitionem* vocant, materiam esse laudis; ut ergo videantur sapere, cœlum vituperant; ut ceteris ingenio & eruditione præstantiores videantur, sanctissima quæque rident, confirmanturque in hoc instituto, cum vident, multos esse vel improbos vel incautos homines, quibus illi joci placeant. &c.

§. 6. Alia Caussa est *ignavia* & *fuga laboris* ad inquisitionem veritatis necessarii. Hinc abstinet Atheus meditatione rerum sacrarum, & lectione eorum Librorum, quibus animus de veritate convincitur, aut si legit, animo id facit præjudiciis pleno. Ingrata est veritatis demonstratio, quæ vitiis animi inimica est.

§. 7. E contrario tales unice delectantur Lectione Librorum ad Atheismum & Religionis contemtum ducentium. His enim permulcetur insita pravitas, concupiscentiæ excitantur & foventur, venenum suave ipsas medullas penetrat. Unde patet non esse in talibus hominibus studium veritatis; sed studium erroris confirmandi.

mandi. Alioqui non minore diligentia scrutarentur ea, quæ pro Religione dicta vel scripta sunt, quam quæ contra eam.

§. 8. Eodem pertinent Colloquia prava, & consortium impiorum, quæ etiam innocentium animos corrumpunt. Item Studia disciplinarum & scientiarum humanarum unice, & sine ullo ad Religionem respectu exculta. Adde his Cl. *Zimmermanni* Tig. Dissertt. de Causs. Incredulitatis.



CAP. VIII.

DE SPINOSISMO.

§. 1. GEnus peculiare Atheismi est *Spinosismus*, qui nomen habet a *Benedicto de Spinosa*, Judæo Amstelodamensi, qui a. 1677. m. Febr. obiit. Hic in pueritia Atheismum cum Lingua Latina ab Medico *Franc. van Ende* imbiberat. Quum dein Cartesianæ Philosophiæ operam dedisset, cœpit traditiones & instituta Synagogæ Judaicæ primo, post ipsa *Mosis* & *Prophetarum* scripta spernere.

§. 2. Hanc mentem quum variis modis prodidisset, periculum veritus a Judæis discessit.

discessit. Solitariam dein variis in locis &, quantum constat, honestam vitam agens, Hagæ Comitum potissimum commoratus est. Edidit a. 1670. Librum, cui tit. *Tractatus Theologico-Politicus de Libertate philosophandi*; qui dein variis Linguis, variisque titulis recusus est. In eo potissimum contra Revelationem Judæorum & Christianorum, nec non Scripturæ S. divinitatem & integritatem disputat. Post mortem auctoris a. 1677. prodierunt, *Opera postuma*: in quibus extat *Ethica mathematice demonstrata.* Heic aperte docet, unicam esse Substantiam, eamque infinitam, extensione & cogitatione præditam, cujus cetera Entia sint tantum modificationes: adeoque *Deum* non alium esse, quam ipsum *Universum*.

§. 3. Ita *Spinosa* non negabat quidem *Deum existere*; Sed talem effingebat Deum, qui Deus non est, nec esse potest; quod ex sequentibus patebit. Examinabimus hic tantum caput de Deo. Errores de Revelatione & S. Scriptura suo loco refutabimus.

§. 4. Sunt qui existiment, talem sententiam jam olim quorundam hominum mentes occupasse, aut saltem adsimilem, ut erat de Deo doctrina Cabbalistarum, & veterum Chaldæorum, de Anima Mundi Stoico-

Stoicorum. Nemo tamen fuit, qui in Systema ordinatum redigeret hæc dogmata, ante *Spinosam.*

§. 5. Hoc autem Systema his potissimum constat propositionibus:

1. Deus est Substantia infinita, infinitis attributis prædita.
2. Ergo non potest esse, nisi unica Substantia. Alias enim plures Substantiæ haberent eadem attributa, quod fieri non potest.
3. Substantiæ attributa s. modificationes attributorum sunt Entia cogitantia & Entia extensa.
4. Quidquid est, id in Deo est, nec potest esse aut concipi sine Deo.
5. Deus est caussa necessaria omnium, quæ sunt & fiunt, nec agit libere, quia non potest aliter agere, quam agit.
6. Nihil est in rerum natura contingens, nihil liberum, nihil quod agat propter finem.
7. Homo non est propter Gloriam Dei; per cons. nulla est Religio, sed superstitio mera, quæcunque de Bonitate, Sanctitate, Justitia, Dei, hominisque officio traduntur.

8. Anima hominis nihil aliud est, quam Idea corporis humani, quam Deus habet, quatenus ea existit.

9. Corpore ergo destructo, destruitur idea illa, ideoque perit anima.

§. 6. Hinc alia consectaria perniciosa deducuntur, quæ addemus, ut abominabilis ista doctrina eo clarius detegatur. Sic ergo pergit *Spinosa*:

1. Absurdum est, Deum considerare ut Legislatorem, qui subditos promissis ac minis ad edictorum observationem adigat; nec Christus ac Prophetæ aliam ob caussam sic eum repræsentarunt, quam ut rudi plebeculæ sese accommodarent.

2. Providentia Dei nulla est, nisi constans, necessarius & immutabilis ordo naturæ; nec est quod homines Deo gratias agant de bonis obtingentibus, aut deprecentur mala.

3. Miracula absolute & in se sunt impossibilia.

4. *Hominum jus naturale non ratione; sed quocunque appetitu, quo ad agendum determinantur, definiri debet:* Sunt verba ipsius *Spinosæ*. Ideoque Jus naturæ

naturæ nullum est, nisi appetitus hominis; nec aliæ Leges, nisi vires ejusdem.

5. Nullum est peccatum ex natura sua; sed unice resultat ex pacto hominis cum Deo, aut cum aliis hominibus.

6. Non opus habemus Salvatore s. Mediatore apud Deum.

7. Nec præmia nec pœnæ dantur.

§. 7. Ceterum utitur tamen *Spinosa* vocabulis virtutis, Legis divinæ, cognitionis & amoris Dei, Salutis & exitii, felicitatis & infelicitatis &c. Sed alio prorsus sensu, quam accipi debent; id quod ex principiis ejus necessario fluit. Nimirum

1. Virtus est agere secundum regulas rationis. Ratio exigit, quod exigit natura; scil. amare seipsum; in omnibus proprium comodum quærere &c.

2. Lex divina talis est, quales sunt illæ leges, secundum quæ corpora agunt; adeoque physice necessaria. Et sic cetera.

§. 8. Apparet ergo in genere, 1. *Spinosismum* istum esse perniciosissimum, quoniam evertit omnem religionem. 2. Eundem esse captiosum & fallacem, eo quod plurimis æquivocationibus & ambiguitatibus utitur.

§. 9.

§. 9. Refutabimus breviter quasdam propositiones ante commemoratas. §. 5. prop. 1. verissima est; sed inde non sequitur prop. 2. Unicam tantum Substantiam esse. Nam infinitis Dei attributis nihil decedit per alias Substantias, & possunt aliæ Substantiæ habere attributa, quæ etiam in Deo sunt; sed cum hac differentia, quod in Deo sunt infinita, in Creaturis finita.

§. 10. Prop. 3. falsa est. Nam Entia reliqua seu cogitantia, seu extensa, non sunt tantum modificationes; sed veræ substantiæ a se invicem & a Substantia infinita, quæ Deus est, distinctæ. Sunt enim res ita existentes, ut non opus habeant alia re, cui tanquam subjecto inhæreant; sed ipsa sunt Subjecta aliarum rerum.

§. 11. Prop. 4. caute est intelligenda. Vera enim est, quatenus Deus creavit omnia, eademque conservat ac gubernat, hocque sensu Apost. dicit, *nos in Deo vivere, moveri & esse.* Sed non debemus accipere ea verba, quasi Entia omnia essent divinæ Substantiæ vel modificationes vel particulæ. Sunt enim hæc absurda; Naturæ rerum & ipsius Dei contraria.

§. 12. His observatis ceteræ prop., quæ sunt priorum consectaria, sponte concidunt, & a nobis tum singulatim refutabuntur,

buntur, cum de Attributis divinis, & ceteris Capp. Theol. Nat. agemus. Ceterum præter alios *Spinosam* refutavit philosophicis rationibus Celeb. *Wolfius* Th. Nat. §. 679. sq.



CAP. IX.

DE ATTRIBUTIS DEI.

§. 1. HÆc attributa recte cognoscere est summæ necessitatis, eo quod non sufficit nosse, Deum esse. Immo cognitio Existentiæ Dei est imperfecta, sine cognitione attributorum; est etiam inutilis, neque ad virtutem nos excitare posset, nisi attributa quoque agnoscamus.

§. 2. Si procedamus ordine naturali, ut unum ex alio fluat, & sic demonstretur; occurrit ante omnia *æternitas*, quæ ex iisdem argumentis probatur, quibus probavimns Dei existentiam. Ea autem huc redit: Plurima Entia existere per Experientiam constat. Hæc aut ab æterno exstiterunt, aut aliquando esse cœperunt. Prius absurdum esse probavimus antea. Superest posterius. Si vero Mundus, & Entia, quibus constat, initium habent,

aut

aut acceperunt illud casu fortuito, aut consilio & voluntate alicujus caussæ intelligentis. Casu fortuito Mundum productum non esse probavimus contra Epicurum. Ergo caussam habet intelligentem.

§. 3. Hæc caussa necessario debuit esse prior Mundo. Nam caussa omnis prior est effectu. Deus autem est caussa efficiens Mundi. Ergo Deus fuit antequam Mundus existeret. Ante Mundi existentiam nihil potest concipi præter æternitatem. Ergo *Deus est æternus.*

§. 4. Porro, si Deus non esset æternus, sequeretur illum prorsus non esse. Nam statuendum esset, eum aliquando initium existentiæ habuisse; hoc initium cum non potuerit a nihilo habere, sequitur id habere ab aliqua caussa. Atqui Deus habens caussam non est Deus: Ergo si Deus non est æternus, prorsus non est: Quod absurdum, per demonstrata.

§. 5. *Obj.* Non possumus concipere Existentium æternam, aut durationem infinitam.

§. 6. *Resp.* Verum est. Sed multo minus possumus concipere, Mundum existentiæ suæ initium habere, nec tamen caussam. Immo hoc est aperte contradictorium. Nam ex nihilo nihil fit; & nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam

non ſit. Sin autem æternitatem Mundo tribuamus, redit eadem difficultas. Itaque cum neceſſario aliquod Ens ſit ab æterno, id rectius tale creditur, qualis eſt Deus.

§. 7. Ex æternitate Dei ſequitur ejus *immutabilitas*, & quod ab alia cauſſa non *dependeat*. Nam id quod mutabile eſt, & ab alia cauſſa pendet, non eſt æternum, & ſic daretur Succeſſio æterna cauſſarum, quam antea jam refutavimus.

§. 8. Ens æternum, immutabile, independens, *exiſtit a ſe*. Quidquid enim eſt, illud aut productum eſt a cauſſa aliqua, aut non productum. Deus autem non eſt productus a cauſſa aliqua, quia eſt æternus & independens. *Ergo eſt a Se.*

§. 9. Exiſtere a ſe non ſignificat, a ſe ipſo productum eſſe. Nam hoc eſt impoſſibile. Nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſſa, quia ex nihilo nihil fit.

§. 10. Sed exiſtere a ſe ipſo, ſignificat, exiſtere abſoluta neceſſitate naturæ ſuæ; id eſt 1. ut ſine manifeſta contradictione non poſſimus negare illam exiſtentiam. 2. ut illa exiſtentia ſit certiſſima, nec in dubium vocari poſſit. 3. Iſtam certitudinem non ex eo fluere, quod ideæ Dei ex arbitrio noſtro jungamus ideam exiſtentiæ; quæ ab idea Entis perfectiſſimi non poteſt abeſſe.

abesse. Unde & ex idea Dei ad ejus existentiam non sumus argumentati.

§. 11. Hinc porro sequitur, *Mundum materialem non esse illud Ens æternum; independens, immutabile &c.* Istud vel maxime contra *Spinosam* est observandum, & in clara luce collocandum. Mundus enim non existit necessario, sed contingenter, adeoque non est Ens a se. Nullam videmus contradictionem, si Mundus non esset, aut aliter esset.

§. 12. Porro Attributum Dei est *Incomprehensibilitas*, ita ut ejus essentiam distincte concipere non possimus. Nec mirum, quum nullius non rei, etiam corporalis & finitæ essentiam, ignoremus. Unde patet, absurde Atheos ex incomprehensibilitate essentiæ divinæ colligere, nos nullam ideam Dei habere, qua de re ante dictum.

§. 13. Deus est Ens *infinitum* & *ubique præsens.* Fluit hoc ex necessitate absoluta existentiæ. Hæc enim eadem ubique est, nec concipi potest, in uno loco plus esse, quam in alio, aut ab ullo loco prorsus abesse. Modum hujus præsentiæ itidem ignoramus.

§. 14. Deus est *Ens unicum* in suo genere, adeoque Deus non potest esse, nisi *unus.* Est enim manifesta contradictio,

duos esse, quod cum aliis modis, tum hoc quoque probatur. Si supponantur existere duo Entia independentia, tum unumquodque existere poterit sine altero, alioqui non esset independens. Atqui hinc sequetur, alterum illud non esse necessario existens, quia prius ab hoc independenter & a se existit; & per conseq. illud non erit Deus, qui & independens & & necessario existere debet. Hoc arg. & aliis similib. utitur *Grot.* V. R. C. l. 3.

§. 15. Hinc refutatur 1. Error *Manichæorum*, & aliorum tam inter Ethnicos, quam Christianos, de duobus Principiis æternis & independentibus, quorum alterum sit boni, alterum mali caussa, quo nihil est absurdius.

§. 16. Refutatur 2. Error *Spinosæ* de unica Substantia. Quum enim unicum sit Ens a se, & independens; Mundus autem non sit illud Ens: sequitur, præter eum existere aliud Ens, aliam Substantiam, cui soli illa attributa conveniant, adeoque non esse unicam tantum Substantiam.

§. 17. Fundamentum istius opinionis Spinosæ est pravus sensus, quem tribuit vulgari, & a Cartesio etiam assumtæ definitioni *Substantiæ*, cum ea dicitur *res per se subsistens &c.* Ubi istud *per se* intelligitur de eo, quod suæ existentiæ nullam caus-

sam

ſam habet. Atqui hoc modo præter Spinoſam nemo accipit, niſi ejus Sectatores. Nam *Subſtantia* dicitur *res per ſe ſubſiſtens*, ut diſtinguatur a *Modo* ſeu *Accidente*, quod extra Subſtantiam non eſt, & nonniſi per abſtractionem mentis concipitur, cum Subſtantia ſit ſubjectum, cui inſunt accidentia.

§. 18. Cum ergo *Exiſtentia* vel potius *Subſiſtentia per ſe* de *Subſtantia* prædicetur ratione *Subjecti*; non ratione *cauſſæ*; ſequitur non tantum unicam eſſe Subſtantiam, nempe Deum; ſed innumerabiles, quia tot res non indigent alia re, cui tanquam Subjecto inhæreant.

§. 19. *Intelligentia* Dei eſt Attributum longe maximi ponderis, cui potiſſimum innititur Religio. Quamvis enim ſupponatur Deus exiſtere, eſſe æternus, independens, infinitus &c.: negatur autem eſſe intelligens, non minus Atheiſmus introducetur. Sic enim nec pro Creatore nec pro Moderatore totius Univerſi haberi poterit. Et *Spinoſa* quidem cum ſuis haud negat, Deum eſſe Ens intelligens, dum dicit, Cogitationem eſſe illius Attributum eſſentiale; ſed *Intelligentiæ* illi adimit *Voluntatis Libertatem*, ſine qua illa eſſe non poteſt, ut mox patebit.

§. 20. Non poteſt quidem *a priori* demonſtrari, Deum eſſe Ens intelligens, quoniam haud perſpicimus nexum neceſſarium *Intelligentiæ* cum *Exiſtentia*. Sed poteſt demonſtrari *a poſteriori*, ex effectis ſcil. quatenus Mundum concipimus a Deo conditum, quod ſine infinita Intelligentia fieri non potuit.

§. 21. *Intelligentiam* Dei probamus 1. ex eo, quod dantur Entia intelligentia. Cum autem Deus ſit ſummum Ens, ceterorum omnium cauſſa; & effectus non poſſit eſſe perfectior ſua cauſſa: ſequitur, *Deum eſſe Ens intelligens.*

§. 22. Sed dicimus porro, DEUM, utpote Ens intelligens, eſſe *Spiritum*, id eſt, *Ens immateriale*, quod ſic probatur. Intelligentia eſt attributum, a Materia realiter diſtinctum, & quod non poteſt a figura & motu produci, aut ab aliis materiæ attributis, quæ cognoſcimus. Nec objici debet omnia fortaſſis materiæ attributa nobis haud cognita eſſe. Nam ſufficit, ut clare videamus, ea omnia, quæ de materia cognoſcimus, cogitationi & intelligentiæ haud affinia eſſe. Si ergo Deus eſt Ens intelligens, ſequitur illum eſſe Ens *Spirituale*.

§. 23. Probatur porro *Intelligentia* Dei ex pulchritudine, ordine, varietate, Symmetria hujus Univerſi, præcipue autem ex

ex rerum ſingularum adaptatione mirabili ad ſuos fines. Ad hujus Arg. vim intelligendam varii variorum Libri conducunt, qui rerum naturalium conſiderationem continent, de quibus ante nonnulli indicati fuerunt.

§. 24. Cum intelligentia Dei neceſſario conjuncta eſt *Libertas*, per quam intelligimus attributum Dei, quo DEUS ad agendum non ab alio quocunque Ente, ſed a ſe tantum determinatur, ſicut etiam a ſe eſt; per conſeq. quantum ad Entia extra ſe, poteſt agere vel non agere, & hoc modo vel aliter agere.

§. 25. Hæc Dei *Libertas* I. probatur iisdem argg. quibus *Intelligentia* ejus. Nam ſine illa hæc non eſt, niſi nomen vanum. Sublata alicujus Entis Libertate tollitur ejus agendi poteſtas, nec poterit eſſe cauſſa ullius rei. Nam agere neceſſario, non eſt agere, ſed pati. Qui enim *Dei Libertatem* negant, per neceſſitatem agendi intelligunt neceſſitatem abſolutam & naturalem, qualis eſt neceſſitas, ut Lapis furſum conjectus paullo poſt decidat: non autem illam perfectionem & rectitudinem Voluntatis divinæ, quæ certo ſe & ſemper determinat ad volendum & agendum ea, quæ ſunt optima; quæ eſt ſumma Libertas.

§. 26. II. Si DEUS non esset liber, sequeretur omnia quæ sunt, necessario esse, nec posse aliter esse, quam sunt, ne quoad minimam quidem circumstantiam: Quod revera etiam statuit *Spinosa*. Atqui ista sententia absurda est. Nam DEUS potest quidem innumerabilia Entia varietate innumerabili producere. Sed, an propterea non potest plura Entia, quam sunt, aut pauciora; majore aut minore varietate producere? Plurima sunt Sidera, ex quibus nonnulli sunt Planetæ, alia fixa. An DEUS non potuisset plura aut pauciora sidera; plures aut pauciores Planetas; plures aut pauciores stellas fixas creare? Et sic de ceteris.

§. 27. III. *Libertas* Dei probatur ex Caussis finalibus omnium rerum, quarum sæpe fecimus mentionem. Si enim DEUS non esset liber, non posset sibi certum finem proponere, eumque obtinere. Quæ necessario agunt, non agunt propter finem. DEUS autem agit propter finem. Quod frustra negat *Spinosa*. Quis enim dubitet, oculos ad videndum, aures ad audiendum factas? & similia.

§. 28. Etiam vana est propositio *Spinosæ*, quando dicit: Eth. P. 2. pr. 48. *Mentem ad hoc vel illud determinari a caussa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, &*

& sic in infinitum. Jam enim probatum est, contradictorium esse progressum caussarum in infinitum. Adeoque etiam hic in prima caussa subsistendum est, quæ a se ipsa tantum determinatur, adeoque *libera* est.

§. 29. *Omnipotentia* porro præditum esse oportet Deum. Est enim caussa omnium rerum, caussa omnis potentiæ, & facultatis operandi in creaturis.

§. 30. Observandum hic I. Dei potentiam non extendi ad contradictoria, ut aliquid simul sit, & non sit &c. II. Eam non extendi ad ea, quæ imperfectionem in ipso arguerent, ut peccare &c.

§. 31. Hæc clara sunt, nec ulli disputationi obnoxia. Potest ergo Deus materiam creare ex nihilo, neque id est absolute impossibile, ut Athei contendunt. Non enim habet contradictionem, aliquid, quod ante non fuit, existere incipere.

§. 32. Deus II. potest producere Entia immaterialia, s. Spiritus. Nulla enim hic est contradictio. Et frustra objicitur: nullam dari ideam Spiritus. Nam hoc 1. negatur ut falsum. 2. inde non sequeretur, Spiritum non esse. Sicut cœcus non potest negare existentiam lucis & colorum, quamvis ejus notionem non habeat.

§. 33. Deus eſt Ens *infinite Sapiens.* Hoc attributum ſequitur ex prioribus, imprimis ex Intelligentia infinita, item ex omnipræſentia. Nam ſi Deus omnia intelligit, & ubique præſens eſt, non poteſt non in actionibus ſuis convenientiſſimum ſibi finem & convenientiſſima ad hunc finem eligere media.

§. 34. Eadem Sapientia infinita cognoſcitur ex perfectione & ordine admirabili, quo omnia in hoc univerſo facta ſunt. Et quo diligentius excolitur hoc naturalium rerum Studium, eo plura & apertiora indicia Sapientiæ cognoſcuntur.

§. 35. Deus poſſidet infinitam *Bonitatem*, *Juſtitiam*, *Veritatem*, & omnes Perfectiones morales, quæ ſummo Judici & Moderatori rerum conveniunt. Hoc ita probatur. I. Omnes res, quæ ſunt, habent inter ſe certas aliquas relationes, quod ex conſideratione illarum liquet. Ex iſtis relationibus fluit omnis ordo & perturbatio rerum. II. Deus, infinita intelligentia præditus, ſcit perfecte iſtas relationes, nec poteſt ab ullo Ente impediri, quin iis convenienter agat, quarum ipſe Auctor eſt. Atqui hoc nihil aliud eſt, quam ex infinita Bonitate, Veritate, & Juſtitia agere.

§. 36.

§. 36. *Bonitas* Dei aliter probatur ex eo, quod cum ipſe ſibi ſufficeret, Creaturas non alium in finem produxit, quam ut ſe illis communicaret, adeoque eas beatas efficeret, quod arguit infinitam bonitatem.

§. 37. *Juſtitia* Dei probatur ex eo, quod convenientiæ rerum & perſonarum plenam habeat notitiam Deus, eique conformiter non poſſit non agere, quod & de *Veritate*, *Sanctitate &c.* & de ceteris virtutibus ſeu perfectionibus moralibus valet.

§. 38. Objectio ex *Malo*, quod in Mundo bonos premit, conſiderabitur tum, quum de *Providentia* Dei agetur. Nunc ſufficit dixiſſe, ſingulas res haud ſeorſim, ſed in connexione cum univerſis eſſe conſiderandas, quo facto infirmitatem potius intellectus noſtri, quam ordinis in Mundo perturbationem obſervabimus. Quapropter hæc obj. a poſteriori deſumta, contra argum. a priori nihil valet.

§. 39. Inter attributa Dei referri etiam debet *Omniſcientia* Intelligentiæ ejus adjuncta. Hæc probatur I. ex eo, quod Deus eſt Cauſſa omnium Entium intelligens. Oportet ergo, ut hæc Entia, eorum proprietates, facultates, vires cognoſcat. II. Ex ejus omnipræſentia, qua ubique, quid ſit & geratur, novit, eadem Omniſcientia colligitur.

§. 40.

§. 40. Hæc Omniſcientia cum futuris applicatur, eſt *Præſcientia*, quam in Deo eſſe, quoad Corpora, eorumque motus ex modo adductis rationibus conſtat. Difficilior eſt quæſtio de futuris contingentibus, ſ. iis, quæ ab Entium cogitantium libertate, ſeu a Spiritibus oriuntur.

§. 41. Sed *Præſcientia futurorum contingentium* Deo negari nequit. Nam I. Cum Deus ſit auctor Entium cogitantium, ſine dubio perſpectam habet omnem eorum naturam, indolem, facultates. Porro cum Entia cogitantia ad agendum certis rationibus moveantur, quæ motiva dicuntur, & ex objectis menti obverſantibus deſumuntur; cumque ordinatio illorum objectorum, utpote plerumque corporeorum, & minime contingentium, Deo nota ſit, (per §. præc.) ſequitur & determinationes Entium rationalium, adeoque futura contingentia ei nota eſſe.

§. 42. Exemplo rem declaremus. Si homini diviti ad miſericordiam & benignitatem prono pauper ægrotus Eleemoſynam petens occurrat, quis dubitabit, quin Deus præſciat, illum huic aliquid daturum eſſe? Præſcit enim, hominem fore divitem, quem ipſe creavit, & cui divitias dedit. Præſcit hominem fore pauperem eadem ratione. Novit divitem eſſe benignum.

gnum. Scit caussam oblata occasione, remoto quolibet impedimento, acturam suæ naturæ convenienter. Et sic de ceteris.

§. 43. II. Si *Præscientia* futurorum contingentium Deo negaretur; negaretur Præscientia omnium, quæ ab illis necessario pendent. Ut, si Deus ignoret, Principem Principi bellum esse illaturum, ignoraret quoque omnes inde orituras calamitates, cædes &c. Sic autem valde imperfecta esset ejus cognitio, eaque quotidie cresceret, instar cognitionis hominum; quod Enti perfectissimo indignum est.

§. 44. Ut autem §. 37. eo melius intelligatur, de *Justitia Dei* nunc aliquanto pluribus agemus. Ejus enim consideratio plenior multum lucis adfundet partim aliis capitibus Religionis Nat. partim ipsis fundamentis Rel. Revelatæ.

§. 45. *Justitia* vulgo definitur *Virtus, per quam suum cuique tribuitur.* In Deo rectius concipitur tanquam *Bonitas per Sapientiam administrata*, ita ut quævis creatura rationalis suo statui & Relationi, qua cum Deo vivit, convenienter ab eo tractetur, atque sic Dei Bonitas in Creaturas sapienter dispensetur. (a)

(a) Sic & *Cudworth.* Syst. intell. C. V. S. V. §. 25. *Justitia*, ait, *nihil est, quam bonitatis quidam radius, aut ipsa bonitas certa Lege temperata.*

§. 46.

§. 46. Sic ergo Deum *justum* esse probatur ex eo, quod est *bonus* & *sapiens*. Neque Bonitas sine Sapientia in Deo est aut esse potest.

§. 47. Requirit autem Sapientia, ut prorsus diversis modis, immo contrariis tractetur innocens & peccator, quippe qui diversam plane, immo contrariam relationem ad Deum habent, & Sapientiæ suæ convenienter agit Deus, nec potest aliter agere.

§. 48. Omnis quidem homo est Bonitatis Dei objectum. Sed tamen homo innocens præ aliis, quia hæc est Natura Dei, ut bonum morale probet, amet, beet, suum beneplacitum modo efficaci testetur. Et ita fit per Justitiam Dei, ut innocentia perpetuo beata fit.

§. 49. Peccator, qua talis, non est objectum Bonitatis Dei, quia hæc est Dei natura, ut malum morale ipsi displiceat, ut Deus id detestetur, modoque efficaci indignationem suam ostendat. Hæc autem Bonitatis Dei aversio non potest non miseram facere creaturam.

§. 50. Beatitudo innocentis dicitur Remuneratio; miseria peccatoris, Pœna. Ergo Justitiæ divinæ est innocentem remunerari, & peccatorem punire.

§. 51.

§. 51. Patet hinc Justitiam, qua punitur peccator, non minus necessariam esse, ac illam, qua remuneratio innocenti tribuitur. Et quidem necessitas hæc ex divina Natura sequitur.

§. 52. Quod non tantum de Justitia, quatenus est essentiale Attributum Dei; sed cummaxime de Exercitio Justitiæ intelligendum est. Nam per Remunerationem & Pœnam Justitia exercetur ac demonstratur.

§. 53. Obj. I. Deus differt pœnam; ergo exercitium Justitiæ punientis non est necessarium. ℞. Quod differtur, non auffertur. Dilatio non repugnat Justitiæ Dei; sed omissio pœnæ. Prior enim nullam in Deo imperfectionem indicat: Sed posterior, quæ Sapientiæ in administranda bonitate defectum argueret.

§. 54. Obj. II. DEUS condonat peccata. ℞. Hoc non ratio docet; sed revelatio, quæ simul ostendit caussam, nempe *ἱλαστήριον*, s. propitiationem in J. C. qua Justitiæ Dei satisfit, ut peccata resipiscenti condonare possit.

§. 55. Instant. Deus est misericors. ℞. I. Differt pœnam & concedit tempus resipiscentiæ. II. Monstrat modum reconciliationis in Verbo suo. III. Misericordia est Bonitas erga miseros. Atqui Bonitas a

Deo nunquam ſine Sapientia adminiſtratur; Ergo nec Miſericordia; neque adeo hæc Juſtitiæ limites ponit, aut eam impedit.

§. 56. Juſtitiam Dei non poſſe non punire peccatum etiam ex eo probatur, quod pœna neceſſario ex peccato ſequatur. Nam quidquid facit ſtatum noſtrum imperfectiorem, illud eo ipſo pœnam habet comitem: Atqui peccatum facit ſtatum noſtrum imperfectiorem; ergo pœnam habet comitem.

§. 57. Cum autem Sapientiæ Dei non conveniat, ut nexum illum neceſſarium, qui eſt inter peccatum & pœnam tollat; etiam non convenit, ut peccatum non puniat; Ergo Juſtitia Dei non poteſt non punire peccatum.

§. 58. Aliter idem probatur. Deum eſſe Ens *ſanctiſſimum* conſtat ex eo, quod omnes perfectiones poſſibiles habet; *Sanctitas* autem, id eſt, conſtans & perpetua voluntas faciendi id, quod Eſſentiæ & Attributis ſuis convenit, eſt perfectio. Jam vero Sanctitati contrarium eſt peccatum; & per conſequens etiam contrarium eſt Sanctitati benefacere peccatori.

§. 59. Non punire peccatorem, eſt eum relinquere in illo ſtatu, in quo fuit, antequam peccaret. Hoc autem eſt benefacere

facere peccatori, quod contrarium eſt Sanctitati. Ergo non punire peccatorem contrarium eſt Sanctitati Dei, idque non quoad Virtutem tantum; ſed & quoad Exercitium Sanctitatis & Juſtitiæ.

§. 60. Hoc ideo addimus, ne quis exiſtimet, Juſtitiam quidem ipſam Deo naturalem & eſſentialem eſſe, Exercitium autem Juſtitiæ arbitrarium. (a) Dicimus itaque Exercitium Juſtitiæ, adeoque ipſam pœnam peccati, neceſſariam eſſe. Quod porro ita probatur.

(a) Sic *Limborgius*, præter alios L. II. c. 12. §. 27. Vid. *Spanhem.* Elench. Controv. contra Socin. XVII.

§. 61. Arbitrarium Deo id eſt, ad quod per Attributa ſua non determinatur. Atqui ad Exercitium Juſtitiæ & Pœnam peccati Deus per Sanctitatem & Sapientiam ſuam determinatur. Quapropter Pœna peccati non eſt Deo arbitraria.

§. 62. Porro Juſtitia ſuum cuique tribuit. Qui autem ad arbitrium proprium Juſtitiam exercet, ille non ſuum cuique tribuit, ſed tribuit cuique quod vult. Sic arbitrarium exercitium Juſtitiæ, ipſi Juſtitiæ Dei contrarium eſt. Ergo id non eſt arbitrarium, ſed neceſſarium.

§. 63. Si Juſtitiæ exercitium eſt arbitrarium, tunc Deus poſſet innocentem puni-

nire, quoniam nihil tum esset in Natura Dei, quod eum magis moveret ad benefaciendum innocenti, quam ad puniendum nocentem. Atqui hoc est & Bonitati, & Sapientiæ & Sanctitati, & Justitiæ contrarium: Justitiæ Exercitium itaque non est arbitrarium.

§. 64. Neque existimandum est, ita tolli Libertatem Dei in agendo. Nam Libertas Dei non consistit in arbitrario exercitio Justitiæ & reliquorum attributorum, ubi nulla ratio locum habet, sed pro ratione voluntas stat; Verum, in perfectione & rectitudine voluntatis divinæ, qua ad agendum a se & per se determinatur, non ab alio Ente. Cum autem Deus nec velle nec agere possit, nisi optima; & punitio peccati sit optima; quippe Naturæ Dei conveniens; colligitur per necessitatem punitionis peccati non tolli ejus libertatem, ut jam de varietate in modo & aliis circumstantiis taceamus, in quibus Deus omnino liberrimus est.

§. 65. Ceterum *Justitiam* Dei, quatenus versatur in puniendo peccato, appellant Theologi *punitivam* & *vindicativam*. Ex his prius nomen lenius est, & rectius adhibetur, quam posterius, quod ideam secundariam adfectus adjunctam habet. Interim tamen nec Scripturæ S. nec rationi adver-

adversatur, si θεωπρεπῶς intelligatur. Vindicta Deo tribuitur, 2. Thess. I. 8. Apoc. VI. 10. &c.

§. 66. Quod enim efficit, ut *Justitia punitiva* Dei tot sint adversarii, est, quod existiment, Deum per eam fingi, ut ex cruciatu hominum voluptatem percipiens aut instar hominis vindictam cupientis, & ea gaudentis. Talis conceptus Deo dignus non est

§. 67. Rectius punitio concipitur, tanquam negatio ulterioris bonitatis, qua se indignum reddidit Peccator, sicut & Deo dignum non est, in peccatorem, qua talem, nisi intercedat expiatio, bonitatem exercere. Ex hac autem Bonitatis divinæ negatione necessario fluit omnis miseria, quoniam creatura, cui subtracta est Creatoris bonitas, non potest beata esse.

§. 68. Hinc ergo Justitia Dei non consistit in desiderio quodam, vindictam sumendi de eo, a quo offensus est: Sed sapiens est & constans voluntas, honorem atque auctoritatem Legum suarum, imperiique sui asserendi ac defendendi, quod sine pœnis, quibus peccatum adficitur, fieri nequit.



CAP. X.

DE PROVIDENTIA DEI.

§. 1. P*Rovidentia Dei* eſt actio perpetua Dei, qua Mundus, & præcipue genus humanum, conſervatur & gubernatur.

§. 2. Conſervatio reſpicit rerum exiſtentiam, Vires, facultates. Gubernatio actiones, Entium imprimis intelligentium.

§. 3. Ratio probat ejusmodi Providentiam dari I. ex divinis Attributis. Sapientia, Bonitas, Juſtitia, Sanctitas, Omniſcientia poſtulant, ut Deus operis ſui curam gerat, atque ſic illas perfectiones continuo demonſtret.

§. 4. Arg. II. ex natura Entium creatorum petitur, quæ non per ſe exiſtunt, ſed ab Ente ſummo in perpetuum pendent, adeo, ut ab eo ſuſtentari debeant, ne in nihilum redigantur.

§. 5. Hoc idem confirmat experientia, quæ docet, omnes res perpetuæ mutationi obnoxias eſſe. Adeoque fruſtra excipitur, Deum rebus creatis iſtam vim tribuiſſe, ut absque illius ope ſubſiſtere & operari poſſint.

ſint. Nam hoc partim experientiæ adverſatur; partim naturæ Entis creati, quod a Cauſſa ſua non pendere non poteſt.

§. 6. Arg. III. Ex ordine Corporum, quibus conſtat Mundus, eorumque in ſuo ſtatu conſtantia. Quis ſuſtinet, ac movet Terram, ſidera in æthere fluitantia? Quis in terris plantarum, animalium, hominum propagationi & conſervationi invigilat?

§. 7. Obj. Leges ab initio conſtitutæ a Deo, & corporibus impreſſæ ſunt, ſecundum quas cuncta procedunt. ℞. Quis Leges illas conſtituit? Quis facit, ut omnes res ſecundum illas moveantur? Deus, cujus ea ipſa eſt Providentia. Ceterum, quin nonnulla interdum fiant, non Legibus illis initio poſitis, ſed immediata Dei voluntate producta, dubium non eſt, cum & hominum arbitrio quædam obnoxia ſint.

§. 8. Arg. IV. ea conſtituunt, quæ experientia ſuppeditat. 1.) Obſervamus, complura in rebus humanis contingere, non obſtante improbitate & ſtoliditate, qua multi homines ſua libertate abutuntur; quæ ordinatorem & gubernatorem Deum indicant, adeo ut ipſa hominum vitia, ipſa ſcelera, ambitio, libido, avaritia, ad perturbationem Societatis tendentia, per

accidens tamen ipsam illius conservationem promoveant.

§. 9. (2.) Occurrunt tot exempla Judiciorum Dei, variis temporibus edita, ut sunt, Sceleratorum tragici exitus; Criminum occultorum, conspirationum, detectio; Gentium vitiosarum ruina, Imperiorum revolutiones, quæ omnia fieri non possent, nisi Providentia Dei interveniente.

§. 10. Arg. V. Quum Existentia Numinis producat necessitatem Religionis: Sublata autem Providentia tollatur Religio: Hinc sequitur dari Providentiam; adeoque persuasionem de hac non minus esse necessariam, quam de illa. Sine Providentia quæ potest esse pietas, quæ Sanctitas, quæ Religio?

§. 11. Considerandæ sunt porro objectiones contra Dei Providentiam; olim quidem pleræque propositæ, sed recentioribus temporibus diligentissime exornatæ. Quare & maxime necessarium est, animum contra eas probe munire.

§. 12. Præmittimus tres observationes generales, quæ Responsionibus viam sternunt. I. Mirum non est, multa esse in Mundi gubernatione, quorum rationes reddere nequeamus. Infinita enim est Dei Sapientia, nostra autem arctis limitibus circum-

circumſcripta: & occurrunt in Rebus omnis generis, ac in diſciplinis humanis ſimiles difficultates, quæ tamen Rerum ipſarum aut Diſciplinarum veritati nihil detrahunt.

§. 13. *Obſ.* II. Quum quædam videantur inordinata, multo tamen plura ordinata ſunt, & in quibus ſingularem ſapientiam admiramur. Quomodo autem convenit, ut ob quædam, quorum rationes haud videmus, omnia ſine ratione fieri putemus?

§. 14. *Obſ.* III. Difficultates verſantur circa Modum rei, non circa rem. Ubi ergo res certa, modus nos morari non debet. Videamus objectiones ipſas.

§. 15. *Obj.* I. Omnes Res fiunt per cauſſas naturales, quæ ſecundum ſuas Leges agunt. ℞. 1°. Omnes, præter Miracula. 2°. Leges illæ, ſecundum quas cauſſæ naturales agunt, ab ipſo Deo conſtitutæ ſunt; & ab eodem diriguntur, quippe cum nihil aliud ſint, quam Cauſſæ primæ & ſapientiſſimæ efficacia & voluntas. 3°. Excipiuntur liberæ ſ. contingentes actiones, quæ non ex cauſſis naturalibus, ſed ex Entium rationalium voluntate fiunt.

§. 16. *Obj.* II. Multa videntur fieri, inutiliter, deformiter, cum detrimento; ut bruta fulmina, pluvia in Mare deſcen-

dens, Monſtra, venena. ℟. 1°. Deus Leges generales conſtituit, quæ ſapientiſſimæ ſunt, quia optimo fini conſequendo aptiſſimæ, licet nonnihil incommodi in hac vel in illa parte videantur admittere.

§. 17. ℟. 2°. Multa videntur inutilia, quia uſum ignoramus: re diligentius expenſa, apparent eadem utiliſſima. ℟. 3°. Etiam deformia & noxia ſuum uſum ſæpe habent, ut Monſtra, ad ceterorum formam demonſtrandam: venena ad Remedia: item ad punienda hominum peccata.

§. 18. *Obj.* III. Multa caſu fiunt. ℟. Minime gentium. Nam reſpectu Dei nihil fit caſu; ſed omnia ſecundum Leges, ab ipſo poſitas. Nobis videntur caſu fieri, quia cauſſas proximas ignoramus.

§. 19. *Obj.* IV. Entia intelligentia ſunt in agendo libera, adeoque a Deo non gubernantur. ℟. 1°. Sunt libera; ſed non independentia. Nam alioqui nobiliſſimæ Creaturæ, & illæ, quæ maxime divina gubernatione opus habent, a Providentia eximerentur. 2°. Qui potuit dare Libertatem, idem poteſt gubernare, non ſublata Libertate; de quo poſtea pluribus agetur.

§. 20. *Obj.* V. Concipi non poteſt, quomodo DEUS tot rebus ſimul attendat. ℟. Sic eſt: ſed ob noſtram infirmitatem, quæ

quæ Dei omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam haud comprehendit.

§. 21. *Obj.* VI. Dei Majestate indignum, Beatitudini contrarium est, tot rerum contemtissimarum & pessimarum curam habere. ℞. Deus in minimis magnus est, nec cum molestia laborat, seu agit, sicut homo, qui agendo defatigatur, & adfectibus distrahitur.

§. 22. *Obj.* VII. Piis sæpe male est. ℞. 1°. Non omnes sunt pii, qui videntur. 2°. Vere pii non sunt innocentes. 3°. Non omnibus male est, quibus esse videtur. 4°. Externa mala internis bonis compensantur. 5°. Malis sæpe bonum augetur & promovetur. 6°. Vita futura omnibus satisfaciet.

§. 23. *Obj.* VIII. Malis sæpe bene est. ℞. 1°. Non omnibus bene est, quibus esse videtur. 2°. Bona malorum hominum, malis compensantur. 3°. Differre pœnas & Deo gloriosum, & homini salutare est. 4°. Vita futura cuique suùm, adeoque pœnam malis debitam tribuet.

§. 24. *Obj.* IX. petitur ex peccato, seu malo morali, quod in mundo est. Dicunt enim Providentiæ Dei adversarii; Si esset Providentia, futurum nunquam fuisse, ut peccatum in Mundum introiret, ex quo tot malorum congeries. Antiqua hæc objectio; Si datur Providentia, unde igitur

igitur mala: recentioribus temporibus a maleferiatis hominibus restaurata.

§. 25. ℞. Peccati origo non a Deo est, sed ab hominibus, qui concessa libertate abusi sunt. Nulla igitur in Deum aut Providentiam culpa recidit.

§. 26. *Inst.* Cur talis concessa libertas, qua abuti possent? ℞. 1°. ut essent Entia præstantissima, intelligentia, libera, agentia proprio motu. 2°. Ut hominum Virtuti locus esset. 3°. Ut Deus Virtutes suas posset demonstrare. 4°. Ut Religio locum haberet, quæ omnia sine Libertate esse non possunt.

§. 27. Deus multa fecit, ad peccatum impediendum, quæ sufficere poterant, si homo voluisset. Sed ad impediendum prorsus & absolute Deus nulla Lege obligabatur. Neque enim infinita Bonitas omne bonum agere tenetur, quod potest, quia ratio etiam ceterorum Attributorum Dei habenda est.

§. 28. At Deus certo præscivit, homines Libertate accepta abusuros esse. ℞. 1°. Præscivit etiam bonum longe majus & amplius, quod ex libertate oriturum esset. 2°. Præscivit modum, quo illis malis mederi posset, atque ex tenebris lucem educere. 3°. Non obligabatur ad impediendum malum.

§. 29.

§. 29. At præstitisset homini, libertate carere. R. Caruisset dono præstantissimo, cujus ope potuisset, si modo voluisset, in æternum beatus esse; quod non bene ea est usus, ipsius culpa est. Nam quo majus malum peccanti imminebat, eo magis debebat sibi cavere, quod & poterat.

§. 30. Nihil etiam Deum obligabat, ut hominem statim in bono confirmaret, ut labi non posset; sicut boni angeli confirmati sunt. Voluit eum explorare, & tum coronare, si perstitisset. Porro, si Deus prævidisset, peccatum necessario futurum esse, debuisset omnino illud impedire. At prævidit, non necessario, sed contingenter futurum; quia Creatura esset Libertate abusura. Itaque non tenebatur Libertatem Creaturæ aut denegare, aut postquam dederat, tollere. (a)

(a) Nostrorum temporum Philosophi in subsidium heic advocant Hypothesin de *Mundo optimo*, ad cujus notionem dicunt permissionem Mali pertinere. Sic ergo ratiocinantur: *Mundus* iste est *optimus*, quia Deus, qui semper optimum vult, eum, ac non alium creavit. In Mundo autem videmus esse Malum. Ergo istud ad Mundum optimum erat necessarium. Itaque debebat a Deo permitti. Vid. *Wolf.* Metaph. Germ. §. 1058. Sed ut alia, quæ a multis huic Hypothesi objecta sunt, mittam; duo tantum heic adnotabo. Primum illa hypothesis non dissolvere nodum, sed secare videtur. Asserit enim Deum permisisse Malum,

quia

quia debebat: debuisse autem, quia id fuerit in Mundo optimo necessarium. Quod si igitur Malum fuit in Mundo, quem Deus creavit, necessarium, nec Deus alium Mundum creare potuit, quam eum, in quo Malum fuerit necessarium; quomodo audebimus contra Atheos defendere Libertatem Creaturæ rationalis, & Peccati contingentiam? Malum sane non potest simul esse necessarium & contingens, nisi solam, ut ita dicam, peccati modificationem, non ipsum peccatum, quod necessarium est, contingentem esse statuamus. Deinde Hypothesis de Mundo optimo involvere mihi contradictionem videtur. Nam si Mundus iste est *omnium possibilium optimus*, nec melior aut æque bonus a Deo eligi potuit, tunc Deus necessario hunc creavit, nec potuit alium creare. Quomodo ergo dici potest, *innumerabiles Mundos esse possibiles*? *Wolf.* §. 980. Non enim alius Mundus possibilis est, præter illum, quem Deus creare potuit. Nullum autem creare potuit, præter hunc, qui est optimus. Ergo est contradictorium, hunc Mundum esse omnium possibilium optimum. Quid ergo? Dicemus ne, Deum creasse Mundum haud optimum? Minime gentium. Primum enim Deus nil nisi bonum creare potuit. Dein Moses quoque asserit Gen. I. 31. quicquid Deus creaverit, fuisse טוב מאד, *valde bonum*, s. *optimum*. Sed aliud est, esse optimum, ita ut nihil in eo mali resideat, nec aut desit, quod ad finem optimum consequendum requiratur, aut adsit, quod malum necessario producat: aliud vero talem esse, ut æque bonus non possit produci. Si enim hoc posterius admittatur, actum est de *Mundi Contingentia*, unde tamen præcipuum argumentum ad Dei existentiam probandam Philosophi deducunt. Statuimus ergo; Mundum hunc, quem Deus creavit, *valde bonum* s. *optimum* esse;

id

id eſt, talem, ut nihil in eo, prout a Deo creatus eſt, mali reſideat, quamvis illud ſit poſſibile. Neque tamen negamus, potuiſſe Deum creare Mundum, in quo Malum poſſibile non eſſet. At noluit talem ob rationes §§. præcedentibus adlatas; nec tamen origo peccati in Deum recidit, quia peccatum ex conformatione hujus Mundi non neceſſario, ſed contingenter, oritur, dum Creatura intelligens ſua Libertate, quæ ad bonum conceſſa eſt, ad malum abutitur.

§. 31. De Providentia Dei porro notandum eſt, illam ſeſe ad omnia extendere, ita ut nihil excipiatur. Hinc ergo I. *ad minima quævis*, quoniam ex his magna componuntur, hæcque ſæpe magnorum cauſſæ ſunt, tandemque in his mirabilis ars elucet. Non magis Deo indignum credi debet, talia curare, quam fuit creare.

§. 32. Dei Providentia ſe extendit II. *ad fortuita*, quæ eſſe videntur. Nam talia re non ſunt, quum omnia a certis cauſſis oriantur, quas quia ignoramus, putamus temere fieri. Præterea a talibus pendet ſæpe maximarum Rerum converſio & eventus, qui etiam providentiæ ſubtraheretur, ſi talia non gubernaret Deus.

§. 33. Extendit ſe III. ad *Actiones liberas* Entium rationalium. Non tantum conſervando vires & facultates agendi, excitando ideas per objecta; ſed & partim ad ipſas Actiones concurrendo, ſeu ali-

quid

quid ad earum productionem conferendo; partim easdem varie gubernando; ita tamen, ut ubique libertas Entis rationalis maneat, & ipſum illud Ens actionis imputationi obnoxium ſit.

§. 34. Ut de hac re diſtinctius agi poſſit, attendendum eſt ad diſtinctionem Actionum liberarum in bonas & malas. Nec eodem modo circa utrumque genus Providentia Dei verſatur. 1°. In genere, docet homines, quid bonum, quid malum ſit; rationes proponit, quæ ab illo avocent, ad hoc impellant; præſcit omnia; probat bona, improbat mala.

§. 35. 2°. Bonas Actiones omnibus modis promovet gratia ſua, de qua in revelata Theologia agendum. 3°. Nec circa malas divina Providentia otioſa eſt. Alias impedit, alias permittit, limites ponit, dirigit ad bonum finem, ſeu ex malo bonum educit. Omnia autem hæc, quomodo fiant, explicari non poteſt.

§. 36. Notabile eſt, in ordinario rerum curſu nihil fieri niſi per media, & in hoc ipſo Providentiam Dei elucere, quod media, tanquam cauſſæ ſecundæ, ordinentur. Hinc & ipſæ Creaturæ viventes, quamvis a Deo conſerventur, non minus tamen labore ſuo indigent, ad victum compa-

comparandum, pericula defugienda &c., nec otiosæ esse debent.

§. 37. Hæc in Creaturis brutis fiunt instinctu naturæ; in rationalibus, ratiocinio, cujus necessitatem & usum experientia monstrat. Unde & omnibus insitus est sui amor, seu appetitus felicitatis, cujus interventu plurima efficit aut impedit Providentia.

CAP. XI.

DE LIBERTATE HOMINIS.

§. 1. QUæ ante diximus, ad *Dei cognitionem* pertinent. Cum autem Religio consistat in Relatione hominis ad Deum, ceu Creaturæ ad Creatorem; seu potius ex illa fluat; necesse est, ut *Hominis* quoque naturam consideremus.

§. 2. Hominem esse præditum facultate intelligendi & volendi, per consequens, esse Ens rationale, non indiget argumentis, quibus probetur, tanquam res per experientiam nota.

§. 3. Entium rationalium Attributum est *Libertas*, per quam intelligitur potentia agendi vel non agendi, aut inter plura

objecta eligendi; unde consequitur, Ens rationale a seipso ad agendum determinari, adeoque suæ actionis immediatam caussam esse, ita ut illa agenti possit imputari.

§. 4. Hominem vero tali Libertate esse præditum, pro certo haberi debet; nec sine hac ulla esset Religio, quippe cum Ens libertate carens obligationis non esset capax, nullis Legibus subjici, nulla officia præstare, nullis præmiis aut pœnis adfici posset.

§. 5. Itaque hac Libertate hominem præditum esse probatur I. ex eo, quod homo est Ens intelligens, de quo nemo dubitat. Ens autem intelligens debet habere libertatem. Non enim posset intelligentia sua uti, nisi liberum esset.

§. 6. Probatur II. per experientiam, qua unusquisque in se descendens sentit atque cognoscit, quotiescunque agit, se etiam posse non agere, seu aliter agere, si vellet. Hæc est caussa, cur prudentiores soleant deliberare, & rationes ab omni parte occurrentes ponderare prius, quam agant.

§. 7. Unde hominem esse liberum æque certo persuasi sumus, ac scimus eum esse intellectu ac voluntate præditum.

§. 8. Idem probatur III. ex eo, quod Actiones nostras videmus, non esse res necessarias,

cessarias, sed contingentes, quæ in se spectatæ possint esse & non esse, sic aut aliter cadere.

§. 9. Libertas vera Creaturæ rationalis includit 1°. *Spontaneitatem*, qua fit, ut absit omnis *coactio*, s. vis externa, corpus nostrum ac membra, nobis invitis & reluctantibus, ad hoc vel illud agendum applicans; quo pertinet etiam, si quis mentis suæ non compos aliquid agit.

§. 10. Ubi tamen diligenter attendendum est, ne inter mentis haud compotes numeremus illos, qui vel ebrietate, vel vehementia adfectuum aguntur. Talibus enim non deest *Spontaneitas*, licet nubila mens sit; & actiones imputantur, ut tanto diligentius sibi ab illis malis caveant.

§. 11. Ad Libertatem pertinet 2°. *Indifferentia*, non quidem talis, ubi in æquilibrio mens posita est, quod ad Libertatem prorsus non requiritur; sed ut facultatem habeamus, non agendi, quod agimus, s. non omittendi, quod omittimus, ut mens nostra haud alia re, quam rationibus se offerentibus determinetur.

§. 12. Heic nobis iterum pugnandum est cum *Hobbesio* & *Spinosa* eorumque Sectatoribus, qui ut Religionem omnem evertant, negant ullam esse Libertatem s. in Deo s. in aliis Entibus. Sed de Deo qui-

dem jam probavimus, esse Ens liberrimum. Videndum de homine.

§. 13. Error eorum, qui negant hominem esse liberum, his duobus fundamentis nititur. I. Mentem determinari a caussa, hanc ab alia, sicque in infinitum. II. Voluntatem, sicut & omnem cogitationem nihil aliud esse, quam modificationem materiæ, quæ non a se; sed necessario ab alio determinetur.

§. 14. Prius illorum principiorum falsum esse ex eo probatur, quod non datur successio caussarum a priori infinita, quippe quæ supponit, nullum esse actionum vel motuum initium, quod ante refutavimus.

§. 15. Alterum falsum est, 1°. quod negat esse Spiritus; item quod Materiæ talia tribuit, quæ nullo modo consistunt cum omnibus ejus notis attributis. 2°. Si materia capax esset cogitationis, non minus capax esset libertatis. Nam hæc non magis, quam illa adversatur naturæ materiali.

§. 16. Supersunt aliæ quædam objectiones, quæ breviter considerandæ. I. *Voluntas necessario sequitur ultimum dictamen intellectus.* Ita est, sed hæc ipsa est determinatio voluntatis, seu voluntas actualis, quæ aliis tantum verbis ultimum dictamen

intellectus

intellectus vocatur. Alias enim voluntatem non ſequi intellectum, patet ex actionibus hominis contra conſcientiam, quæ ex affectibus magis, quam ex dictamine intellectus fiunt.

§. 17. Obj. II. *Deus præſcit omnia. Præſcientia autem eſt certa; Ergo omnia neceſſario eveniunt.* ℟. Quod certum eſt, illud ideo non eſt neceſſarium. Nam præſcientia, cum nihil aliud ſit quam cognitio factum antecedens, non influit in actionem, nec eſt cauſſa ejus; ſed actio non alia eſt, quam futura eſſet, ſi Deus non præſciret. Hinc quæ fiunt, non fiunt, quia Deus præſcit; Sed præſcit Deus, quia futura ſunt. Et hoc quidem tam apertum eſt, ut quæ fiunt, futura eſſent, etiamſi nulla eſſet præſcientia.

§. 18. Addere poſſumus hanc quoque obſervationem; nihil abſurdi, aut contradictorii contineri in notione *Libertatis*, quæ ſignificat, Ens aliquod ſe movere, aut non movere poſſe, prout placet. Non enim confundenda eſt *Libertas* cum Independentia. Neque eo ſecius homo in Dei poteſtate eſt, qui & facultates conſervare, & aufferre, & gubernare, & in agendo impedire pro lubitu poteſt, quamvis ignoremus modum, quo id fiat.

§. 19. Patet porro, hominem posse sibi habitum agendi certo modo acquirere; & eundem exuere. Patet hominem in agendo finem aliquem sibi proponere, & media ad eum ducentia eligere vel non eligere posse: Quæ sane ipsius libertatis sunt partes.

§. 20. *Hobbesii* Arg. contra Libertatem est: *Quicquid fit, habet caussam sufficientem; hæc autem necessario agit, ergo est necessaria*: At hoc ratiocinium est merum Sophisma. Nam ludit in voce *necessarii.* Caussa quidem sufficiens est caussa necessaria; id est, sine illa non potest effectus produci. Sed caussa sufficiens non necessario semper producit effectum. Nam requiritur, ut non modo adsit, sed etiam ad agendum moveatur. Probet autem *Hobbesius*, Ens intelligens non seipsum aut movere, aut ad agendum determinare.


§. 21. Si nulla daretur *Libertas*, quæri posset, quomodo apud homines orta esset ejus notio. Aut enim orta est ex vero & certo libertatis sensu, aut ex necessitate naturali s. physica. Si ex priori, oportet ergo verum esse illum sensum, veram notionem. Sin ex posteriore; quid absurdius, quam dicere ex necessitate physica hominibus natam esse ideam libertatis? An ergo necessario credimus, nos esse in agen-

do

do liberos, & tamen liberi non ſumus? id eſt neceſſario erramus? quod nemo ſapiens dixerit.

§. 22. Quomodo autem illi, qui *Libertatem* negant, ex propriis principiis eos refutare poſſunt, qui illam admittunt? Eſtne id falſum, quod neceſſitas phyſica & ineluctabilis nobis perſuadet? Ubi eſt ergo Criterium veritatis, evidentia notionum, quam homines non poſſunt non amplecti, tanquam certo veram?

§. 23. Addimus breviter illas horribiles conſequentias, quæ ex negatione *Libertatis* fluunt, ut ſimul hujus erroris atrocitatem intelligamus. 1.) Sublata Libertate tollitur virtus & vitium, laus & vituperium, præmium & pœna. 2.) Tollitur deliberatio, prudentia, uſus mediorum. 3.) Tolluntur Judicia & Magiſtratuum Leges. 4.) Deus peccati auctor ſtatuitur. 5.) Tollitur Revelatio divina. 6.) Tollitur omnis Religio; quæ ſingula facile probari poſſunt.



CAP. XII.

DE RELIGIONE NATURALI.

§. 1. PRobata Existentia Dei, ejusque Attributis, item Providentia, & hominis Libertate, qua capax natus est Obligationis & Religionis; sequitur ergo dari *Religionem Naturalem*, id est, dari *officia*, quibus homo tenetur. Unde simul patet *Actionum bonarum & malarum discrimen* non esse vel ex arbitraria Dei constitutione, vel ex mera hominum voluntate; sed ex ipsa rerum Natura seu *Lege naturali*.

§. 2. Hoc ut probetur, observandum est I. Relationes Rerum esse naturales & æternas, aut saltem ipsis rebus coævas. Sicut enim Deus ab æterno est præstantissimum Ens, dignum omni veneratione, honore, adoratione; ita etiam homo a primo existentiæ suæ momento Deo infinitis modis inferior, ab eo omnia accepit, quæ habet, atque ab illius conservatione & directione semper pendet.

§. 3. Similiter homines inter se generalem istam habent relationem, quod sint Entia ejusdem Speciei, creata ab eodem Deo, iisdem facultatibus naturalibus prædita,

dita, quæ eſt naturalis omnium æqualitas. Cui accedunt ſpeciales inter Parentes & Liberos, fratres, Conjuges, dominos, ſervos, Magiſtratus, ſubditos, Relationes.

§. 4. Obſervandum II. ex his relationibus fluere certos modos agendi, quibus ſi conveniant, *actiones bonæ*; ſin minus, *malæ* dicuntur. Unde patet, ſicut Relationes rerum naturales ſunt, ita & actiones naturaliter vel bonas vel malas eſſe.

§. 5. Regulæ illæ, quibus convenientia vel diſconvenientia Actionum cum Relationibus rerum continetur, vocantur Officia hominis ſ. *Leges Naturales.* Hæ ergo revera dantur, & obligatio ad illas ſervandas, eſt obligatio naturalis.

§. 6. Non ergo actionum humanarum bonitas ſ. malitia moralis unice pendet ab *Arbitrio*, poteſtate & dominio Dei. Non enim concipi poteſt, Deum contrarium ejus, quod ex naturalibus Rerum relationibus fluit, potuiſſe Lege ſancire; quippe cum ipſe Natura ſua non poſſit non illis convenienter agere. Hæc eſt Bonitas, Juſtitia, Sanctitas, Veritas & Sapientia Dei, ut naturalibus rerum Relationibus convenienter agat.

§. 7. Multo minus officia erga alios unice inſiſtunt *Pactis hominum & Juri poſitivo.* Neque enim in Statu Naturæ, ante inita

Pacta, licitum fuiſſet, hominem occidere; niſi propriæ vitæ defenſio id neceſſario exegiſſet; aut alia facere, Relationibus contraria.

§. 8. Sequuntur etiam ex illa *Hobbeſii* opinione varia abſurda. Potuiſſent homines Lege & Pacto ſtatuere, ut quivis obvium quemque trucidaret; ut filii, cum ad ætatem adultam perveniſſent, e medio tollerent Parentes, ut hæreditatem citius cernere poſſent, & ſimilia.

§. 9. Quis non videt, ita turbari ordinem, & agi contra naturales Rerum Relationes, quæ cauſſa eſt, cur talia Legibus hominum juſte conſtitui non poſſint, ac ne permitti quidem.

§. 10. Porro, ſi Leges pacto tantum valent, unde pactum vim ſuam habet? Cur non licet illud impune violare? Cur hoc malum eſt? Non certe ex alio pacto antecedente. Nam ita circulus admitteretur, ſemperque rediret eadem quæſtio. Ergo ex Natura, qua fit, ut paciſcentium hæc ſit Relatio, ut conveniat ea præſtari, quæ promittuntur, nec licitum ſit contrarium.

§. 11. Nec certe dici poteſt, *Bonum publicum* eſſe rationem primam naturalium Legum; non rerum naturalium bonitatem & malitiam. Nam quæ eſt ratio, quæ bonum

mum publicum jubeat curari, & promoveri, nisi quod hoc natura est bonum morale?

§. 12. Nec *Societatis* inter homines Conservatio & Tranquillitas. Quid enim jubet hanc quærere, cum sæpe privato hominis commodo & affectui contraria sit? nisi Natura, quæ ostendit convenientius esse, ut pluribus bene sit, quam uni. Oportet ergo, ut alia antecedat ratio, quæ bonum a malo discernat: & Sapientiæ divinæ insigne est documentum, quæ id effecit pariter utile Societati hominum, quod est moraliter bonum.

§. 13. Objicitur; sæpe difficile esse, bonum a malo morali discernere; unde tot opiniones diversæ doctorum, tot etiam inter se contrariæ Leges & consuetudines gentium oriantur.

§. 14. ℞. Generalia principia boni & mali moralis non esse obscura vel ambigua; sed specialem illorum applicationem interdum difficilem reddi. Ex. gr. Veritatem dicendam esse constat; Sed, annon certo casu mendacium mihi utile, ceteris innoxium, dicere liceat, disputatur. Furari peccatum est, an etiam casu necessitatis ad vitam sustentandam, ambiguum.

§. 15. Observandum III. Ipsum Deum non fortuito quodam & irrationali arbitrio;

trio; sed secundum Normam, quam ipsemet in Relationibus rerum constituit, agere; ut adeo bonum & malum morale non ex Lege positiva, sed ex naturali & immutabili rerum constitutione fluat. Unde & Creaturas rationales ad eandem Normam sese componere oportet.

§. 16. Probatur porro, dari Leges naturales ex singulorum hominum *Conscientia*, quæ Legem adesse testatur etiam cum eam violant. Tunc enim non obscure improbat factum, & ita justi & injusti testis est. Hinc animus tranquillus, ubi Lex servatur; turbatus, ubi violatur. Quod vel inviti sæpius produnt improbi, vel conscientiæ morsibus agitati, vel in aliis virtutem laudantes, vitia reprehendentes. Vident meliora probantque, licet deteriora sequantur.

§. 17. Objicitur porro: quasdam Nationes integras talium officiorum ignaras esse. R. 1°. Nondum probatum est, inveniri Nationem, ubi ignota sint omnia principia moralia. 2°. Si talis esset, non sequeretur, talia principia haud esse in rerum Natura fundata. Sunt enim & aliæ veritates certissimæ, quæ ab integris Nationibus ignorantur. 3°. Constat, quo cultiores & sapientiores sunt Nationes, eo magis florere doctrinam moralem.

§. 18.

§. 18. Hæc eadem *Lex Naturæ* dicitur *recta Ratio*, quæ non est ab hominibus excogitata, sed ipsis insita, atque coæva, eademque immutabilis. Vocatur & *Dei Voluntas*, non eo tantum, quod eam præscripsit, & per Revelationem declaravit; sed quod ipse Relationum inter res, adeoque veritatum moralium & obligationum, quæ inde fluunt, auctor est.

§. 19. Unde sequitur, omnes homines hac Lege, tanquam proprie sic dicta, obligari, non tanquam *Consilio*, cui parere vel non parere liceat. Nam justum & injustum suum fundamentum habet in rerum natura. Neque adeo respectus *præmii* aut *pœnæ* illis Legibus suam vim dat, quamvis hanc in animis hominum efficaciorem reddat, & locum motivi firmissimi teneat. Est autem discrimen inter obligationem officii, & motivum ejus.

§. 20. Officiorum hinc redundantium compages *Religionem Naturalem* constituit. Sunt autem alia in Deum, alia in nos ipsos, alia in ceteros homines, quæ heic exponere & singula demonstrare non est nostri instituti. Fit enim a Philosophiæ moralis & Juris Naturæ Doctoribus. Vid. *Grotius* de Jure B. & P. *Pufendorf*. de Jure Nat. & Gent. aliique.

§. 21.

§. 21. Quod autem illis officiis contrarium est, *peccatum* dicitur. Malum hoc est, quia per id Creaturæ præferunt suam voluntatem veritati & convenientiæ rerum æternæ, lumini rationis & conscientiæ dictamini; immo ipsi Voluntati divinæ.



CAP. XIII.

DE PRÆMIIS ET POENIS, nec non *DE IMMORTALITATE ANIMARUM.*

§. 1. CUm discrimen boni & mali moralis verum sit & intrinsecum, atque adeo essentiale, fieri non potest, quin Deo Bonum placeat, Malum displiceat. Hinc sequitur boni & mali moralis nexum cum præmiis & poenis itidem necessarium esse.

§. 2. Nam *præmium* & *pœna* nihil est aliud, quam sequela actionis necessaria, qua declarat Deus sibi bona placere, displicere mala. Quapropter nisi Deus puniret aut remuneraretur, videretur circa bonum & malum morale indifferens; quod est contradictorium.

§. 3.

§. 3. Aliud argumentum idem probat. Omnis Legislator, non solum potest; sed etiam debet Legibus suis vim & auctoritatem addere. Hoc autem non aliter fieri potest, quam pœnis & præmiis, quibus ad servandas Leges incitantur, a violandis absterrentur homines. Deus autem, ut auctor omnium rerum, est Legislator; unde sequitur, eum Leges suas pœnis & præmiis sanxisse.

§. 4. Quo major est Legislator, eo major obligatio, eo & deterius peccatum, graviorque pœna, ac vice versa, eo majus & præstantius obedientium præmium. DEUS est infinitus. Ergo infinita obligatio, peccatum deterrimum, pœna ac remuneratio infinita est.

§. 5. Quomodo autem poterit remuneratio & pœna esse infinita, si hominis & essentia & existentia sit finita? Essentia certe hominis non potest esse infinita; itaque saltem existentia, seu duratio est infinita, per consequens post Corporis mortem aliquid superest, quod vocamus *animam*.

§. 6. Hinc jam colligitur animarum immortalitas. Sed eadem aliis quoque argumentis evincitur. Sit ergo I. Quod sine *immortalitate animarum* nulla esse posset pœnarum & remunerationum executio.

§. 7.

§. 7. Arg. II. Pœna peccatorum & remuneratio piorum sunt necessariæ. Sed illæ in hac vita non semper ita, ut justitiæ divinæ convenit, dispensantur; quod non modo experientia docet, sed etiam impii contra Dei providentiam vel maxime solent urgere. Opus est ergo, ut alius sit exspectandus status, quem cum corpori ratio nulla promittat, animam exspectare debere patet.

§. 8. Nulla hic occurrit objectio, quæ expendi mereatur, excepta illa sententia veterum Stoicorum, qua dicebant, virtutem ipsam esse suam remunerationem, adeoque & vitium suam pœnam. Sed quis non videt, sic confundi caussam cum effectu, viam ad felicitatem cum ipsa felicitate & contra?

§. 9. Arg. III. petitur ex animæ natura. Hanc cognoscimus ex ejus facultatibus & operationibus. Tales sunt cogitare, cognoscere, ratiocinari, sentire, meminisse. Cum istæ ex nullo corporis s. materiæ attributo, cujus quidem hactenus notitiam sibi comparaverint summi philosophi explicari possint, ut inter alios demonstravit *Ditton* in Append. Libri de Resurrect. colligitur animæ nullam convenire illarum qualitatum, quæ corpori conveniunt. (*a*)

(*a*) Sunt

(*a*) Sunt Philosophi, qui existimant, ad *immortalitatem* animæ probandam non opus esse ejus *Spiritualitatem* asserere. Nam existere posse particulas materiæ *indestructibiles*, quæ nulli mutationi nec dissolutioni sint obnoxiæ. Huc pertinere videatur, quod *Leibnitius*, *Swammerdam*, *Boerhave &c.* statuerunt, animas omnium hominum initio in Adamo fuisse, & quidem specie aliqua corporis organici præditas. Adeo ut simplicissimum illud corpusculum a nemine, præter Deum destrui posset. Vid. *Biblioth. Raif.* T. 33. 134.

§. 10. Hinc porro colligitur, destructo corpore, quod fit per dissolutionem partium materiæ, non destrui animam, & sic ex immaterialitate ejus immortalitatem sequi.

§. 11. Si quis objiciat, fortasse corpus habere attributa, quæ ignoremus: fatemur id fieri posse. Sed 1°. quis probabit, tales *occultas qualitates* adesse, quas ex physica jamdudum ejecit sanior Philosophia? 2°. Quis argumentis ante adlatis opponi patietur conjecturam nullo modo probabilem, nisi velit omnia incerta reddi?

§. 12. Alii objiciunt ex *Lockio*, DEUM, qui est omnipotens, posse materiæ communicare vim cogitandi. ℞. Potest, si velit destruere naturam materiæ, atque ita pro materia creare Spiritum. Sed manente materia, non potest, quia contradictorium est, extensum, divisibile, figu-

 rabile,

rabile, mobile cogitare; i. e. esse materiam & non esse. (*b*)

(*b*) Opinionem istam, de qua §. 11. & 12. solidissime refutavit summus Mathem. *L. Eulerus* noster Opusc. P. I. p. 277. ubi potissimum ex *vi inertiæ* demonstrat, materiæ vim cogitandi non competere, quia hæc est vis se perpetuo movendi, quæ cum vi inertiæ pugnat.

§. 13. Arg. IV. petitur ex antiquitate ejus opinionis, cujus nulla ratio reddi potest, præter dictamen rationis, aut saltem ejus per traditionem acceptæ cum sana ratione convenientiam. Unica fuit secta philosophorum, qui ab *Epicuro* nomen trahentes, objiciebant, se non concipere, quomodo anima per sensuum organa cognoscat objecta externa. Sed quomodo isti cognoscent modum sensationis sine anima? (*c*)

(*c*) Animorum immortalitas etiam olim a Druidibus docebatur, immo & ipsorum corporum nova vita, quippe qui existimarent, quod *regat idem Spiritus artus orbe alio. Lucan.* I. 454. *Hist. litter. de la France.* I. p. 35. ubi eam non esse Metemphychosin Pyth. probatur, sed opinionem ab ea diversam.

§. 14. Arg. V. Ex desiderio homini insito immortalitatis, quod vanum esse haud probabile, immortalitas animæ probabilis redditur.

§. 15. Arg. VI. Ex conscientia & metu futuri, de quo idem colligimus; imprimis

primis quia illis quoque ineſt, quibus in hac vita nihil metuendum eſſe videtur.

§. 16. Arg. VII. Deus per Creationem Mundi & Gubernationem vult ſuam Gloriam agnoſci: Hoc autem, teſte experientia, fit admodum imperfecte in hac Vita. Ergo exſpectanda alia, ubi id perfectius fiat: alioqui Deus ſcopo ſuo in perpetuum excideret, ſaltem quoad majorem hominum partem.

§. 17. Probata immortalitate animarum, ſequitur illas poſt ſeparationem a corpore vivere, agere, cogitare, ſentire &c.: unde ſimul refutatur eorum error, qui putant, animas poſt mortem corporis *dormire* aliquandiu, quod cum earum exiſtentia & immortalitate prorſus pugnat.

§. 18. Fatemur autem, Animam, dum in Corpore eſt, nonniſi per *Organa* ſentire & operari, adeoque his læſis, impediri & debilitari ſenſationes & operationes animæ. Sed inde non ſequitur, animam ſine Organis percipere & operari non poſſe, etiam poſtquam Corpore liberata eſt. Utitur nunc corpore, quia ei unita eſt. Cum ergo ab illo liberabitur, non amplius organis opus habebit.

§. 19. Cum enim ex argumentis adlatis conſtet, Deum velle ut anima ſit Corpori

superstes; scimus simul, ipsi haudquaquam difficile esse, animam in statu vitæ conservare, licet ignoremus modum. Sine actione enim superstes non esset, sed mortua.

§. 20. Ad ea, quæ §. 9. & seqq. disputata sunt illustranda, utiles quoque sunt Observationes istæ. I. Qui dicunt, *animam* esse *materialem*, s. a Corpore non distinctam, non intelligunt, quid dicant; cum animæ proprietates prorsus diversæ sint a proprietatibus materiæ.

§. 21. Obs. II. Iidem dicunt aliquid, quod nullo modo est probabile, quia nihil in materiæ attributis invenitur, ex quibus tamen solis, de ejus natura judicari potest, quod cogitationis sit capax.

§. 22. Obs. III. Animæ ideam claram & distinctam formare non possumus quidem: Sed corporis eadem est ratio. Si ergo multa sunt in Animæ natura & facultatibus, quæ explicare non possumus, non debemus ejus existentiam negare, cum nemo neget existentiam corporum, nisi Scepticus.

§. 23. Obs. IV. Existentiæ Animarum nostrarum æque certi sumus, ac Corporum, quoniam ne per momentum quidem dubitare possumus, nos esse Entia intelligentia. Si nescimus, quomodo Anima agat

agat in Corpus; non minus nescimus, quomodo Corpus in animam, aut unum Corpus in aliud, agat. Ex eo autem, quod nescimus, non debemus negare id, quod scimus. (*d*)

(*d*) Tironibus ad hæc uberius cognoscenda commendamus *Clarke* de l'Existence & des Attributs de Dieu: item *J. A. Turrettini* Dissertationum Vol. I.

CAP. XIV.

DE DIFFERENTIA RELIGIONUM.

§. 1. EX dictis patet, esse *Religionem*, quam sana Ratio probat, atque ex firmis argumentis & ratiociniis colligit. Quia autem constat, varias esse de Religione sententias, sequitur disquirendum esse, quænam sit *vera Religio.*

§. 2. Omnes quæ sunt in orbe Religiones veræ esse non possunt, cum non modo magna varietas, sed & contrarietas in illis observetur. Itaque ineptam esse illam quorundam persuasionem liquet, qui dicunt omnes Religiones æque Deo placere; cum nihil, nisi verum Deo gratum esse possit.

§. 3. Notum eſt, eſſe nonnullos, qui nullum alium Religionis fontem agnoſcant, quam *Rationem*; alios vero de quadam divina & ſupernaturali *Revelatione* loqui, quæ & certius, & clarius & uberius viam Salutis pandat.

§. 4. Porro in his, qui *Revelationem* agnoſcunt, alii veram tenent, alii falſam & fictitiam. Etiam veram, alii tenent abſolute, & ſine reſtrictione, alii partem tantum ejus. Ut jam de diſſenſu eorum, qui eandem ſe habere Revelationem contendunt, nihil dicamus.

§. 5. Exinde fit, ut alii *Gentiles* dicantur, alii *Mohammedani*, alii *Judæi*, alii tandem *Chriſtiani*. *Gentilium* Religio non tam Ratione nititur, quam traditione majorum, Oraculis ſ. falſis Revelationibus confirmata. Revelationem quoque falſam jactant *Mohammedani*: Qui veram, ſed imperfectam profitentur, ac præterea humanis figmentis corruptam, *Judæi* ſunt: qui denique veram, eamque plenam, *Chriſtiani* nominantur.

§. 6. Non ſine gravi cauſſa quæritur, quinam ex iſtis certiorem viam ſequantur. Omnes jactant & credunt ſuam eſſe veram Religionem. Unica cum ſit veritas, tamen quatuor illæ Religiones, ut jam taceam ſingularum ſectas, ſingulæ apud ſe

ſtare



ſtare veritatem contendunt, ſuntque inter ſe contrariæ.

§. 7. Falluntur enim, qui exiſtimant, parum intereſſe, quam Religionem ſequaris. Qui enim ſic ſentiunt, nullam in animo ſe monſtrant habere, quales ſunt *Athei*. Aut, ſi Religionem fovent, non attendunt ad illius vim, quales illi fuerunt & ſunt etiamnum, qui veram quidem & rationi conſonam Religionem privatim retinendam ajunt; ceterum publice colendum Deum, prout vel a majoribus traditum eſt, vel ſummis Imperantibus placet, exiſtimant.

§. 8. *Atheos*, qui negant principia, & fundamenta omnis Religionis evertunt, jam refutavimus. De quibus mirum non eſt, eos vel Religionem nihili facere, vel ſimulare quamlibet, ac pro re nata mutare Religiones, ſicut mutant veſtes.

§. 9. Ceteri ab Atheiſmo propius abſunt, quam ipſi fortaſſis ſibi videntur. Cui enim Religio indifferens eſt, is eam non magnopere amat. Qui non amat Religionem, is non amat Deum, nec ſerio colit; adeoque ſi non verbis, ſaltem reipſa *ἄθεος eſt in mundo*; Eph. II. 12.

§. 10. Porro, qui aliam publice, aliam privatim Religionem profitentur, illi alterutram falſam eſſe credant neceſſe eſt. Quid

autem aliud eſt, falſum profiteri, quam mentiri? quod Vir bonus & ſapiens indecorum ſibi eſſe ducit in rebus levioribus. Quanto magis improbum in Religione mentiri?

§. 11. Idem ſentiendum de Religionis mutationibus. Equidem errare poſſumus omnes, nec pertinaces debemus eſſe in errore tenendo; ſed eum, cumprimum cognoverimus, deſerere. Interim nihil debet nos ad mutandam in Religione ſententiam movere, niſi veritas errori oppoſita.

§. 12. Ut ergo Religionem veram indagemus, multis modis tenemur. I. Ipſa ratio nos eo ducit, quæ veritatem & monſtrat & commendat. Cur Rationem Deus homini indidiſſet? niſi ut veritatem inquireret. Cur tot veritates partim ex certis, partim ex probabilibus principiis deducere docuiſſet, niſi eas nos cognoſcere & inveſtigare vellet?

§. 13. II. Veritatem omnibus natura cordi eſſe voluit. Hinc omnes ea delectantur. Nemo libenter errat. Nemo non mavult verum cernere, quam falſa opinione duci. Hinc & dolor & pudor, cum erraſſe nos deprehendimus. Exuunt ergo humanitatem, aut ei vim faciunt, qui, cum poſſunt, veritatem in re magna haud quærunt.

§. 14.

§. 14. III. Religio est res maximi momenti, non levis, nec talis, ut ad certos tantum, non ad omnes homines pertineat. Agitur de felicitate vera, eaque non hujus tantum, sed & futuri ævi; quam non unus & alter, sed omnes appetunt.

§. 15. IV. Summum est in errore circa Religionem periculum, nec in præsens tantum; sed & in futurum tempus. Quippe cum ad Religionis normam vita sit instituenda, non possumus non peccare, adeoque pœnis omnis generis obnoxii fieri, si Religionem negligamus.

§. 16. Patet ergo, multum interesse, quam ex Religionibus, §. 5. memoratis, amplectamur. Differunt enim illæ multum inter se, immo in capitibus præcipuis sunt contrariæ. Cum autem veritas una sit, sequitur unam tantum esse Religionem veram.

§. 17. Ut autem inveniamus hanc, opus est Examine singularum, quo illi imprimis defungi tenentur, qui præ ceteris ingenio valent, & rerum cognitioni operam dant. Nihil dignius est, in quo cognoscendo laboremus, quam Religio.

§. 18. Norma, ad quam exigere Religiones debemus, est *Recta Ratio*, s. illa Naturalis Religionis Principia, quæ antehac tradita sunt. Hæc enim nunc sola, tan-

quam nota, ſupponitur. De *Revelatione* poſtea agetur.

§. 19. Si ergo ad Religionem *Gentilium* reſpicimus, initio ſtatim occurrit pluralitas Deorum, quæ cum Unitate & ſimplicitate divinæ eſſentiæ conſiſtere nequit. Huic cum innitatur Cultus & publicus & privatus illorum, patet ex hoc ſolo, illam Religionem non eſſe veram; ut cetera omittamus.

§. 20. Neque enim heic excipi poteſt, quod Sapientiores Gentiles illum errorem abjecerint. Nam & hi publice colendos eſſe illos Deos cenſebant, quos Majores coluiſſent, quosque multitudo ſecundum patrias Leges coleret.

§. 21. Supereſt ergo, ut aliquam ex ceteris Religionibus eligamus, quæ Revelationem divinam præ ſe ferunt; ubi inveſtigandum eſt, an ulla ex illis veram habeat, & quænam ea ſit. Sed antequam eo progrediamur, dicendum de *Revelatione* in genere, ejusque neceſſitate, ne quis dubitet, ejus quoque rationem neceſſario habendam, nec in *Religione Naturali* ſubſiſtendum eſſe.

CAP.

CAP. XV.

DE REVELATIONE ejusque *NECESSITATE.*

§. 1. R*Evelatio* est modus, quo Deus vel veritates quasdam Natura notas in clariore & perfectiore luce collocat, vel alias rationi prorsus ignotas & impervestigabiles certis hominibus inspirat, per quos eædem aliis tradantur. Unde patet, Revelatione partim illustrari & perfici rationem, partim novas concedi cognitiones, quæ defectum rationis suppleant.

§. 2. Ex hac ejus notione colligitur, nullam esse, nec esse posse, contradictionem inter Rationem & Revelationem. Nam 1°. Utraque est a Deo. 2°. Altera alteram non tollit nec evertit; sed perficit ac supplet. 3°. Coævæ sunt. Docet enim Historia S. primo homini, cui Rationem indiderat, etiam Creatorem se manifestasse, atque præcepta dedisse per Revelationem.

§. 3. Nunquam igitur debemus Rationem Revelationi opponere; sed subordinare;

nare ; nec vice versa Revelationem Rationi objicere, sed adjungere ; ut ita homo amplectatur, & sedulo adhibeat quælibet media, ad veram felicitatem ducentia, quæ ipsi a Deo sunt proposita.

§. 4. Existimamus autem Revelationem ob has potissimum caussas necessariam esse. 1°. Quia Religio Naturalis ad Salutem Generis humani non sufficit. 2°. Quia Religio Naturalis ab hominibus corrupta est. 3°. Quia paucissimis innotuit. 4°. Quia absque Revelatione ipsa Religio Naturalis, qualem antea tradidimus, nusquam invenitur.

§. 5. Ex harum caussarum consideratione patebit necessitas Revelationis divinæ, quam non eo animo defendimus, quasi Deus ulla necessitatis Lege obligatus fuerit, ad Revelationem hominibus dandam. Huc enim ipsum sola Benignitas, & Generis humani amor ducebat. Sed unice ex illa necessitate colligimus, quam avide nos homines debeamus arripere istam Revelationem, cumprimum ejus aliquam notitiam adipiscimur.

§. 6. Dicimus I. *Religionem Naturalem ad Salutem non sufficere*; non hoc quidem sensu, quod homo, si omni tempore Religioni Nat. convenienter in omnibus vixisset, veram felicitatem consequi non potuerit:

tuerit: Sed, quod hoc rerum ſtatu, quo homines a pueris corrupti, officia ipſa Religionis Nat. multis modis neglexerunt; aliud præterea ſalutis medium requiratur.

§. 7. Poſſumus hic tuto ad Hiſtorias & experientiam omnium temporum provocare: nec poterit ullus indicari, qui Religionem Nat. talem, qualem præformavimus, nulla in parte violaverit. Vid. Rom. I. & II. & de Rel. Nat. non minus verum eſt ac de Revelata, quod ibid. Cap. III. 10. 11. 12. de univerſali corruptione dicitur.

§. 8. Hinc colligitur, excidiſſe Genus humanum vera felicitate, qualiscunque illa fuerit, quam Ope Religionis Nat. conſequi debuiſſet. Reatum ſibi contraxit, ac DEUM juſtum judicem ac ultorem merito timet, niſi inveniatur modus, eum placandi, quem tamen Religio Nat. haud ſuppeditat. Unde ſequitur eam ad ſalutem non ſufficere.

§. 9. Dicimus II. *Religionem Nat. ab hominibus eſſe corruptam.* Conſtat hoc non plebis tantum, ſed & Sapientiorum exemplo, qui, ut jam de aliis capitibus nihil dicamus, plures Deos colebant. Adde abſurdos, impios, inhumanos ſacrorum Ritus apud pleroſque uſitatos; vitia ubique dominantia,

minantia, ac pro licitis, immo quædam pro virtutibus habita.

§. 10. Dicimus III. *Religionem Nat. paucissimis innotuisse.* Homines enim natura ita comparati sunt, ut parum de Numine cogitent, multo minus laborent in Ideis de eo distinctis sibi comparandis, minime vero solliciti sint de ejus voluntate cognoscenda & facienda. Hinc cæcitas & ignorantia.

§. 11. Hanc augent *a*) prava educatio, quæ mentem præjudiciis, & amore voluptatum implet. *b*) Pravi adfectus animi, qui hominem abripiunt. *c*) Consuetudines & Habitus, qui pravitatem illam ita confirmant, ut Religioni fere tantum in externis quibusdam actibus locus relinquatur.

§. 12. Equidem habuerunt Gentiles omni tempore homines aliquos sapientiores, qui præjudicia & errores vulgi multos partim ipsi exuerunt, partim institutione ac scriptis eximere aliis laborarunt. Sed 1°. nec hi ab erroribus gravissimis liberi. 2°. Pauci erant, eodemque tempore vix unus & alter. 3°. Parum proficiebant in generali hominum emendatione; cujus rei inter alia duæ sunt rationes observandæ. 1.) Quod eorum docendi Methodus non erat ad omnium captum accommodata,

commodata. 2.) Quod auctoritate sufficiente carebant ad doctrinam suam omnibus instillandam.

§. 13. Dicimus IV. *Absque Revelatione divina ipsam Religionem Nat., qualem esse oportet, nusquam inveniri.* Quamvis enim omnia illius Capita ex ratione deduci & demonstrari possunt; nusquam tamen ita deducta ac demonstrata ab illis, qui Revelationis omnis fuerunt ignari, reperiuntur. Multi multa ex paganis de Religione optime scripserunt. Sed nemo integrum ejus Systema tradidit. Alii enim hæc, alii alia pars deerat; quod philosophica historia imprimis docet.

§. 14. Quapropter si scire velimus, quid possit ratio hominis in Religione vera invenienda, non rationem nostram consulere debemus, quam Verbum Dei in viam deduxit; sed rationem illorum, quibus hoc Verbum erat ignotum. Per consequens Religio mere naturalis aut Rationalis, ad quam homines sine Revelatione pervenerunt, est Religio Gentilium; non Religio, quam antehac tradidimus, & quam *Deistæ* Religioni Revel. opponunt. Vid. *Werens.* Op. T. I. p. 66.

§. 15. Tandem & hoc recte a multis observatur, Gentiles Philosophos ipsos ex *Traditione* multas suæ doctrinæ partes hau-

fisse.


fiſſe. Hæc ubi vera erat, ab Revelatione originem deducit, cujus cognitio ex peregrinationibus illorum apud Ægyptios & alios Orientales, quos Græci *Barbaros* vocabant, deſcendit, ipſis fatentibus, ut Loca quædam a Celeb. *Werenfelſio* &c. citata oſtendunt.

§. 16. Ex iis omnibus patet non modo ſumma utilitas; ſed & neceſſitas Revelationis ulterioris, qua Nat. Religio illuſtretur & perficiatur, ratio vera Cultus Dei ac plenior omnium & officiorum & motivorum certitudo tradatur, modus expiationis peccatorum pandatur, & fortiora adferantur Subſidia naturalem & univerſalem corruptionem ſuperandi. Quam neceſſitatem & pagani quidam philoſophi agnoverunt, in iisque Plato &c. Loca Vid. apud *Clarke Rel. Nat. C.* XI.

§. 17. Si Revelatio divina hominibus neceſſaria eſt, cur ergo non ſtatim ab initio Mundi, & cur non omnibus eam Deus indulſit? ℞. 1°. Non ita concipimus Revelationis neceſſitatem, ut Deum obligatum fuiſſe putemus, ad eam dandam §. 5. 2°. Dedit tamen Deus ſtatim ab initio Revelationem, docente Hiſtoria Sacra. 3°. Non judicabuntur illi, qui caruerunt divina Revelatione ex hac; ſed ex Lege Nat. Rom. II. 12. 4°. Quod Religio Chriſt.

non

non ubique recepta est, non Dei est culpa, qui Apostolos per totum orbem ad omnes gentes misit, Matth. XXVIII. 19. sed hominum illorum, qui Evangelium repulerunt.



CAP. XVI.

REVELATIONEM DIVINAM REVERA HOMINIBUS OBTIGISSE.

§. 1. NEcessitas *Revelationis* divinæ, ejusque necessitatis Sensus, fecit, ut & desiderarent homines talem, & si quæ adferretur, quæ placeret, plerunque cupide arriperent. Hinc contigit, ut omnes fere Religiones, non excepta ipsa pagana, talem jactarent. Unde orta Oracula Gentilium, Vaticinia, Numæ colloquia, & alia ejus generis.

§. 2. Sicut autem omnis veritas suos Characteres habet, quibus ab errore discernatur; ita & vera Revelatio a falsa haud obscure differt. Et quod quidem ad Religiones *Gentilium* attinet, eas, utpote erroribus inquinatas, jam supra rejecimus, nec quisquam dubitat, Revelationes, quas

jactarunt, falsas esse; sive jam a fraude hominum astutorum; seu a fallaciis Cacodæmonis ortæ sint.

§. 3. Revelationem & inspirationem divinam jactat etiam *Mohammedana* Religio. Eam ut examinare possimus, opus est I. ejus historiam; II. dogmata considerare. Historia breviter huc redit. Auctor Religionis *Mohammed*, Arabs gentilis, qui Idololatriæ pertæsus cœpit aliorum Sacra cognoscere, & in quibusdam capitibus veriora sentire. Ut auctoritatem sibi compararet is, qui non princeps erat; sed conditione servus, dein negotiator; nec doctus, sed litterarum omnium expers; finxit Revelationes divinas, quas tamen nullis veris miraculis aut prophetiis confirmavit.

§. 4. Cum inciperet spargere novam Religionem, quamvis eam diligenter ad Arabum suorum mores composuit, excitatis tamen turbis patria *Mecca* pulsus *Medinam* fugit A. C. 622. Mox factione sibi comparata, quos lenitate non potuit, armis ad fidem adegit, ope *Saracenorum* usus, qui in Oriente brevi tantopere invaluerunt, ut amplissimos principatus constituerent.

§. 5. Dogmata Religionis Scripto comprehendi curavit per amanuenses, adjuvante

vante *Sergio*, Monacho Neſtoriano, & Judæis nonnullis. Schedæ poſt obitum Mohammedis collectæ *Alcoranum* conſtituunt, quem ſumma veneratione, ut Librum divinitus inſpiratum ac cœlitus delatum, proſequuntur *Mohammedani.*

§. 6. Summa doctrinæ *Alcorani* ad 40. Capita ab ipſis Mohammedanis redigitur, in quibus multa bona, & Religioni naturali convenientia; ſed nihil de Expiatione peccatorum per Reconciliationem peccatoris cum Deo. Fundamenta omnis Religionis hæc V. ponuntur: *Unum eſſe Deum, & Mohammedem ejus Legatum; Purificationibus & Orationibus frequenter utendum; Eleemoſynam dandam; Meccam peregrinatione adeundam; & jejunandum Menſe Ramadan.*

§. 7. Sed præter hæc multa continentur in Alcorano, quæ Religioni Nat. ſunt contraria, & ab ea penitus abhorrent. Iſta ergo faciunt, ne credamus, Revelationem a Mohammede jactatam eſſe veram ſ. a Deo profectam; 1°. Quod hanc ſuam adſertionem nullo idoneo argumento confirmavit. 2°. Quod defectus Religionis Nat. non ſupplevit. 3°. Quod a Religione Nat. aliena, immo ei contraria tradit.

§. 8. Sic alienum a Religione Nat. eſt, quod tot purificationibus, & cærimoniis ante orationem ſit utendum; quod Mecca

peregrinationibus Religiosis colenda; quod jejunandum sæpius, & præcipue Mense Ramadan, singulis diebus, ut tamen liceat totis noctibus epulari.

§ 9. Contraria Religionis Nat. sunt: 1o. Talem Librum, qualis *Alcoranus*, qui multa inepta & absona, falsa, impia continet, a Deo traditum esse. 2o. Disquisitiones de Religione omnes vitandas esse. 3o. Caussam peccati esse Voluntatem Dei. 4o. Polygamiam & Concubinatum licitum. 5o. Piis post mortem & Resurrectionem exspectandas esse delicias & voluptates carnales &c.

§. 10. Cum ergo *Mohammedis* Revelatio sit ficta; quæritur an *Judæorum* sit vera? ℞. cum distinctione. Si per veram intelligamus absolute, & omnibus modis perfectam, negamus, quoniam 1.) Religionis magnam partem collocat, in Sacrificiis, ciborum & dierum discrimine, circumcisione & aliis ritibus. 2.) Quod ipsa promittit alium Prophetam, qui pleniorem & illustriorem allaturus sit Revelationem.

§. 11. Sin veram intelligamus, quæ a Deo profecta, concedimus. Sed porro distinguendum inter genuinam illam, quæ in sacris Libris continetur; & eam, quam nunc Judæi tenent. Nam si consideremus

recentiorum

recentiorum *Judæorum* errores, haudquaquam poterimus nobis persuadere, talem Religionem, qualem isti nunc quidem fovent, divinam esse, cum & ipsa ignoret solidum ac Deo dignum expiationis modum; ac plurima S. Libris contraria contineat, addatque hominum figmenta.

§. 12. Superest ergo *Christianorum* Revelatio, quam si veram esse probaverimus, patebit, solam Christianam Religionem esse veram; simulque *S. Scripturam*, qua illa Revelatio continetur, esse a Deo *inspiratam*. Unde jam de *Religionis Christ.* veritate nobis agendum erit.

CAP. XVII.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

§. 1. NEcesse est, ut quilibet Christianus, imprimis qui aliis docendis operam dat, argumenta, quibus veritas & divinitas R. C. constat, perspecta habeat. Quod probatur 1.) ex eo, quod res tanti momenti non sine firmis rationibus dijudicari debet. 2.) quod debet animus noster muniri adversus tentationes

varias, quibus a veritate abduci possemus. 3.) quod homo, tanquam Ens rationale non debet Enthusiasmo, s. cœco impetu, ad aliquid ferri. 4.) quod ipsa Scriptura S. explorationem & examen commendat, Act. XVII. 11. 1. Thess. V. 21. 1. Joh. IV. 1. 1. Petr. III. 15. 5.) quod nos ita comparare debemus, ut & aliis ejus veritatem persuadere possimus.

§. 2. Hæc observanda, tam contra illos, qui negligentia aliqua ducti, inquisitionem veritatis omittunt; quam contra alios, qui & illicitum esse putant & periculosum, examinari cum Religionem in genere, tum in specie singulorum dogmatum veritatem.

§. 3. Tales sunt *Pontificii* & *Enthusiastæ*. Illi per auctoritatem & infallibilitatem Papæ aut Ecclesiæ; hi per Spiritus S. operationem & inspirationem, omnia confici in Christianis putant. Utrumque genus adlatis rationibus refutatur; quibus addimus 6.) periculum cæci adsensus, cum auctoritas plurimos errores nobis inculcare, Enthusiasmus autem, docente experientia, homines ita decipere queat, ut propriæ mentis aut ipsas Satanæ illusiones, pro dictatis Spiritus S. habeant, cujus rei exempla nimis multa exstant.

§. 4.

§. 4. Non negamus *viam auctoritatis*, quæ vocatur, in multis ad veritatem nos ducere, adeoque in iis rectam esse & tutam. Sed 1°. Auctoritas debet esse talis, cui tuto fidere possimus; ut in rebus historicis traditio auctorum & testium fide dignorum est. 2°. Omnis Religio vera non potest niti auctoritate humana; sed debet adesse divina. Hanc ex argumentis colligimus firmis ac solidis, de quibus mox.

§. 5. Neque infitiamur, Spiritus S. operationem ad persuasionem salutarem de veritate R. C. requiri. Sed 1°. Spiritus S. non operatur, nisi per illuminationem intellectus, quæ rationes & argumenta Fidei Chr. ob oculos ponit. 2°. Spiritus Sancti opus est, amoliri præjudicia mentis, & voluntatis perversos motus, qui veritatis agnitioni obsistunt. Per consequens non excludit Examen; sed promovet.

§. 6. *Obj.* Plerique Christiani non possunt examinare veritatem; quippe quod & otium & eruditionem requirit. ℞. Examen veritatis cuilibet pro captu suo incumbit. Otium deesse non potest, quamvis occupato, si de rei momento & necessitate cogitet: nec Facultas, quoniam argumenta multa plana sunt & facilia, & cuilibet patent, cum adsint subsidia idonea, ubivis obvia.

§. 7. Neque tamen opus eſt, ut omnibus objectionibus incredulorum ſatisfacere queat Chriſtianus quilibet. Sufficit enim, ſi uno alteroque idoneo argumento ipſi conſtet veritas. Cetera, quæ captum ſuperant, doctis & Eccleſiaſticis relinquere poteſt; etiamque, quando occurrunt difficultates, quibus ſeſe extricare nequit, debet ad eos reſpicere, qui Doctorum munere in Eccleſia funguntur, non pro imperio & auctoritate, ſed cum argumentis & ratione reſponſuros.

§. 8. Unde ſimul patet, quam neceſſarium ſit, ut, qui alios docere cupiunt, accuratam omnium R. C. fundamentorum, etiamque objectionum, quibus ea impugnari ſolet, cum ſolidis reſponſis, cognitionem habeant. Debent enim & ipſi certi eſſe, & aliorum ſcrupulis ſatisfacere; & ipſius Religionis defenſionem contra improbos ſuſcipere.

§. 9. Sunt autem quædam *notæ*, quidam *Characteres*, quibus vera Revelatio dignoſcitur a falſa, qui ſi adeſſe intelligantur, non poſſumus decipi. I. *Nota. Vera Revelatio*, p. c. vera Religio, *nihil continet, quod Rationi contradicat.* Quod enim rationi contradicit, verum eſſe non poteſt, nec unquam pro divina Revelatione habendum.

§. 10.

§. 10. Cavendum tamen eſt, ne cum ratione credamus pugnare, quæ non pugnant. Etenim illud tantum contradicit rationi, quod cum certis & evidentibus ejus principiis conſiſtere nequit. Illud autem, quod ex principiis natura notis, & ratiociniis probari aut comprehendi non poteſt, non eſt contra Rationem, ſed ſupra eam. Talia dari non in Revelatis tantum; ſed & Naturalibus Rebus conſtat, de quorum veritate nihilo ſecius certi ſumus.

§. 11. Immo hanc II. *Notam* Revelationis veræ pono, ut *contineat quædam, quæ Lumine nat. aut prorſus non, aut non ſatis clare ac certo cognoſci poſſint.* Hinc enim conſtat illius neceſſitas, quæ nulla eſſet, ſi omnia, quæ continet, ſola Ratione cognoſcerentur.

§. 12. *Nota* III. *Revelatio ſecum ipſa non pugnat*, nec poteſt a Deo Revelatum cenſeri, quod cum alia veritate Revelationis pugnet. Nam in Deo nulla eſt contradictio. Hinc ſi quid occurrat, quod vel cum Ratione, vel cum Revelatione alia adverſa fronte contendat, nec conciliari poſſit, rejicitur.

§. 13. *Nota* IV. *Doctrina revelata debet inſigni præſtantia, immo ſumma, eſſe.* Quod ſi deſit, non poſſumus Revelationem Deo dignam cenſere. Si vero adſit, jam ad

Veritatis demonſtrationem gradum inſignem habemus. Præſtantia autem doctrinæ patet 1°. ex ſcopo, qui eſt Gloria Dei & hominum felicitas; 2°. ex Mediis eo ducentibus. Ea ſi talia ſint, ut humano ingenio excogitari non potuerint, ex peculiari Dei Revelatione eſſe colliguntur.

§. 14. *Nota* V. His accedere debent *perſpicua quædam divinæ originis & irrefragibilia indicia, qualia ſunt Miracula & Prophetiæ*, quibus ipſi Revelationis auctores fidem faciant, ſe a Deo ſua accepiſſe. Hæc nota ceteris addita divinitatem doctrinæ revelatæ extra omne dubium ponit. Nec tamen ſola hæc ſine ceteris ſufficit. Sunt enim, qui falſa jactant miracula, de quibus poſt agetur.

§. 15. Ex his conficitur probatio ſ. demonſtratio plena, *Religionem Chriſt. habere veram Revelationem divinam.* Non ea quidem eſt Mathematica demonſtratio. Talis enim in res facti & morales non cadit; ſed tantum in abſtractas. Interim ſufficiens eſt, 1.) ut tuto ſalutem æternam per iſtam Religionem ſperemus. 2.) ut quivis ſapiens ac veritatis ſtudioſus in ea acquieſcere debeat.

§. 16. Nam quod ad 1. attinet, omnia vitæ humanæ negotia non ſecundum demonſtrationes Mathematicorum, ſed ſecundum

cundum certitudinem & evidentiam *moralem*, geruntur, nec quisquam ſapiens minus agit, quæ agenda ſunt, quamvis ea geometrice non demonſtrentur.

§. 17. Deinde, etiam in rebus dubiis ſuadet prudentia, ut partem tutiorem ſequamur. Quanto magis ubi ab utraque parte omnia tuta eſſe illa evidentia videmus, quæ in tales res cadit, ſequi potius Religionem Chr. quam non ſequi debemus?

§. 18. Si vel maxime erremus in admittenda Revelatione Chr., quod tamen ſuſpicandi nulla prorſus eſt ratio; nihil inde accidet mali. Si vera ſit, conſequemur æternam felicitatem. E contrario, ſi eam Revelationem non admittamus, & hujus vitæ veris commodis, quæ ſuis Cultoribus promittit, & futura Vita beata excidemus in æternum perituri. Ergo in admittenda ea minus eſt periculum, quam in rejicienda.

§. 19. Quod ad 2. credimus indignum ſapiente & veritatis ſtudioſo, ſi alias exigat probationes, aut altiorem certitudinis Gradum, quam rei natura admittit.

§. 20. Circa difficultates, quæ in dogmatibus Religionis Chr. locum habent, notandum eſt: 1°. Etiam in aliis rebus occurrere difficultates, nec minus illas pro veris haberi. 2°. Deum ita hominis ſtudium

dium & veritatis amorem explorare velle, & exercere. 3°. Rei naturam & ingenii humani imbecillitatem non aliter ferre. 4°. Distinguendam esse Religionem Chr. ab additamentis humanis. 5°. Distinguenda porro esse essentialia a ceteris. Nam in additamentis humanis, & aliis non essentialibus sunt pleræque difficultates.

§. 21. Interim ad eam certitudinem comparandam, animi dispositio requiritur, veri studium, diligentia, attentio, modestia, præjudiciorum depositio, adfectuum absentia, Dei reverentia & amor, ejusque invocatio, qua auxilium in quærendo, & illustratio mentis impetratur.

CAP. XVIII.

ARGUMENTA pro VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

§. 1. SUnt eorum duæ Classes. I. Continet *generalia*, quæ apud omnis generis homines valere possunt & debent. II. *specialia*, quibus utimur apud Gentiles, Mohammedanos, Deistas, ac Judæos. Alios alia Methodo convincere debemus.

§. 2.

§. 2. Generale argumentum eſt hoc. Quæ Religio habet Revelationem, in qua omnes 5. Notæ veritatis ac divinæ originis reperiuntur, illa eſt vera. Religio autem Chr. eas habet. Nam 1°. *nihil continet, quod rationi contradicat.* 2°. *Plenior & perfectior eſt Religione Nat.* 3°. *Secum ipſa non pugnat.* 4°. *Summæ eſt præſtantiæ & perfectionis.* 5°. *Confirmata eſt Miraculis & Prophetiis.*

§. 3. Priora quatuor capita ut de R. C. probentur, opus eſt ad ſpecialia deſcendere. Ubi tria diſtincte conſideranda ſunt; ſc. proprie dicta *Dogmata*, *Præcepta*, & *Motiva.* Dogmata & ipſa ad praxin tendunt, ſuntque præcipue hæc. 1.) Deum eſſe unum eſſentia, trinum Perſonis; quorum illud eſt rationis quoque, hoc Revelationis proprium, nec rationi contrarium, quippe quæ nihil habet, quod contradicat, ſi dogma tantum, ſecundum Scripturæ Sacræ ſimplicitatem exponatur.

§. 4. Revelatio Chr. 2.) docet, Deum creaſſe totum hoc Univerſum, per Filium, quod ultimum addit Revelatio, rationi minime contrarium. 3.) Mundum Providentia regi. 4.) Hominem creatum innocentem & purum, lapſum eſſe Spiritus maligni ſeductione in peccatum, hinc & poſteros omnes corruptos; idque partim ratio

ratio docet, partim Revelatio rationi convenienter addit. (*a*)

(*a*) Est sane & hoc argumentum V. R. C. quod nulla Religio docet, qualis sit homo ejusque miseria pariter & præstantia; quænam miseriæ causa & quænam medela, præter Christianam. *Pascal* Pensées.

§. 5. R. C. docet 5.) Deum olim sibi delegisse Populum, quem ab universali Religionis Nat. corruptione custodiret, atque Revelatione propria bearet. Ea est res facti, cui Ratio quod contradicat non habet. 6.) Deum voluisse homines peccatores secum reconciliare, salva Justitia sua; ideo misisse Filium suum, qui induta Carne viveret, doceret, doctrinam confirmaret, pro Sacrificio se ipsum Patri offerret, ex mortuis resurgeret, ad Gloriam pristinam extolleretur. In his ratio nihil videt, quod contradicat, quamvis ipsi nova hæc omnia sint, & ignota.

§. 6. Nam ad id, quod objicitur, Incarnationem Filii Dei rem esse incomprehensibilem; ℞. est id quidem insigne Mysterium; sed non minus a contradictione remotum, quam Unio Animæ cum Corpore in hominibus. Nec Filii Dei extrema humiliatio absurda est; sed potius convenientissima Benignitati Entis Summi,

Creatu-



Creaturarum ſuarum curam habentis. Satisfactionem ipſa Ratio exigit, ſi debuerunt homines ſervari; & ipſe Modus Juſtitiam Dei illuſtrat, atque Pietatem incendit.

§. 7. R. C. docet 7.) inſtare Judicium poſt mortem, Reſurrectionem Corporum, Præmia & Pœnas æternas. Hæc partim docet Ratio ipſa, partim facile admittit. Nihil enim nec impoſibile, nec abſurdum, nec ad praxin officiorum inutile cernit. Singula vero ſuo loco uberius illuſtrantur, atque ejus certitudinis eſſe cognoſcuntur, ad quam Ratio in talibus adſurgere non poteſt.

§. 8. Quod porro attinet ad *Præcepta*; nullum eſt dubium, & fatentur increduli quoque, Doctrinam Moralem R. C. & Rationi convenientiſſimam eſſe, & ipſam perficere. Etenim hæc eſt pars præcipua R. C. & ceterarum partium ultimus ſcopus. Itaque erga Deum, proximum atque ſeipſum talia officia præſcribit, quæ partim ipſa Ratio dictat, partim dictaret, ſi eadem *Motiva* contineret.

§. 9. His enim *Motivis*, quæ Ratio ſuppeditat, addit R. C. 1°. Spem remiſſionis anteactorum peccatorum, ſi credamus in Chriſtum, & reſipiſcamus. Hæc Spes in Morte Mediatoris & Satisfactione fundatur; quæ infinitum Dei Beneficium cum ſit,

non

non poteſt non animum hominis id ſerio meditantis vehementiſſime adficere, atque ad perfectiſſimam obedientiam permovere.

§. 10. Addit 2°. Promiſſionem auxilii ſupernaturalis, per Spiritum S. quo vincamus inſitam nobis ſ. innatam ac inveteratam pravitatem, concupiſcentias, deſideria rerum ſenſibilium & carnalium, tentationes, impedimenta cetera.

§. 11. Addit 3°. certiorem & efficaciorem Spem æternorum præmiorum, ac metum æternorum cruciatuum; quæ & Ratio proponit, ſed obſcurius; cum Revelatio & naturam præmiorum & pœnarum pandat, & omnem dubitationem excludat.

§. 12. Hinc ſatis quidem patet, 1.) Revelationem Chriſt. nihil continere, quod Rationi contradicat. 2.) Pleniorem & perfectiorem eſſe Religione Nat. 3.) Secum ipſa non pugnare. Sed omnia magis patebunt, quum ad ſingulorum Capitum tractationem perveniemus. Hinc jam porro 4.) ſequitur, R. C. ceteris omnibus eſſe præſtantiorem & perfectiorem, ſ. omnium perfectiſſimam atque præſtantiſſimam, p. c. Deo digniſſimam.

§. 13. Eadem *Præſtantia* R. C. clarius ſic probatur. R. C. perfectior & præſtantior eſt Naturali. Hæc autem præſtat Gentili, Mohammedana & Judaica, qualis nunc

quidem

quidem eſt; ut ante oſtendimus. Ergo R. C. omnibus multum præſtat Religionibus.

§. 14. Thema iſtud egregie deducit præter *Turretinum* Diſſ. V. de Verit. R. C, *Werenfelſius*, Diſſ. de *Præſt.* R. C. ac alia de *motivis &c.* quæ exſtant Opp. T. I.; unde quasdam obſervationes heic repetemus.

§. 15. Religio conſtat duobus capitibus, *vero de DEO ſenſu*, & *recto ejus cultu.* In utroque R. C. ceteris omnibus præſtat. Quod enim tradit de priore, Rationi omni modo eſt conforme; poſterius conſentaneum priori; adeo, ut nihil Deo dignius excogitari poſſit, aut uspiam inveniatur.

§. 16. Hoc partim ex ſingulorum Capitum conſideratione, partim ex comparatione R. C. cum aliis Religionibus, plenius patet. Sed heic non reſpiciendum eſt ad *Judæos* & *Mohammedanos.* Hi enim omnia, quæ habent bona, ex R. C. aut S. S. hauſerunt; quamvis & hæc additionibus & figmentis abſurdis & ineptis corruperint.

§. 17. Comparetur ergo R. C. cum Religionibus Gentilium, *Ægyptiorum*, *Græcorum*, *Romanorum*, *Sinenſium*, quæ ſapientiſſimæ Gentes fuiſſe & eſſe cenſentur. Facile apparebit, eas omnes, ſive opiniones de Diis ſpectes, ſive Cultum, eſſe vanas & ridiculas, immo impias & abominandas.

Ne quidem rationi conveniunt; tantum abeſt, ut cum R. C. de præſtantia certare queant.

§. 18. R. C. eſt etiam præſtantior *Naturali*, ob hanc, præter jam adlatas, rationem, quia homines arctius atque firmius adſtringit illa, quam hæc. Nam Ratio in animis hominum haudquaquam tantam auctoritatem habet, quantam Revelatio Dei immediata. Neque certe Religio Nat. apud ullum populum fidem invenit, necdum inveniret, niſi Revelatione confirmata fuiſſet, & perfecta.

§. 19. Præſtantia R. C. elucet porro ex Scopo promovendi in omnibus *unice* Gloriam Dei. Eo pertinent dogmata & præcepta R. C. omnia; cum Religiones ab hominibus excogitatæ non poſſint non paſſim prodere humanum conſilium, ſcopum humanum, immo carnalem.

§. 20. Eadem elucet quoque ex incitamentis ad Virtutem & pietatem, quæ R. C. proponit. Hæc enim ſunt ſolidiſſima & efficaciſſima, qualia non inveniuntur in Rel. Gentilium, immo ne in Philoſophorum quidem ſcriptis, qui hac in parte, quamvis virtutem valde laudent, tamen valde elumbes ſunt & languidi, ſi cum ſacris Chriſtianorum ſcriptis conferantur.

§. 21.

§. 21. *Obj.* Incitamenta apud multos carent efficacia. ℞. 1°. Apud multos efficaciam insignem habuerunt & habent. 2°. Apud alios non habent 1.) quia a multis ignorantur; 2.) quia a multis non creduntur; 3.) quia multi ad ea non attendunt. 4.) quia officia sua multi ignorant.

§. 22. Ex his tanquam Corollaria deducimus sequentia. I. Nihil boni in ulla Religione contineri, quod R. C. non doceat. II. In R. C. omnes veræ Religionis Characteres reperiri. (*a*)

(*a*) Hæc & cetera argumenta in compendio quoque pleraque inveniuntur in *H. Grotii* aureo Opusc. de Verit. R. C. L. II.

CAP. XIX.

DE MIRACULIS.

§. 1. Antequam in hoc argumento ulterius procedamus, probabimus ante omnia, auctores Christ. Religionis nec *fraudis* nec *Enthusiasmi* jure accusari posse. Per auctores intelligimus præcipue ipsum *Christum*, deinde *Apostolos*, ceu primos Præcones Evangelii.

§. 2. Fraudis suspicionem removet 1o. Christi & Apostolorum humilitas & defectus omnium subsidiorum humanorum, quibus fidem sibi apud Populum facere potuissent. Erant pauperes Luc. IX. 58. 1. Cor. IV. 13. Caruerunt eruditione, sapientia, eloquentia, auctoritate humana, 1. Cor. I. 20. 21. 26. II. 1. 2. Cor. IV. 7. Tam abjecta erant hæc omnia, ut & hostes ipsorum hinc objectiones peterent, eosque, ut homines viles, spernerent. Tales autem, qui sunt, non relinquunt locum fraudis suspicioni.

§ 3. Fraudis suspicionem removet 2°. Christi & Apostolorum vitæ innocentia & sanctitas; speciatim pietas in Deum, caritas in homines, contemtus divitiarum, voluptatum, honorum; mansuetudo, παῤῥησία, patientia & constantia.

§. 4. Neque heic objici potest, Apostolos ipsos de Christo & de se, non alios, testari. Nam 1) Unde tales homines illam ideam Virtutis fingere potuissent, quæ ipsorum Scriptis continetur? si fraudulenti fuissent, 2) Scripta eorum habent omnes Characteres sinceritatis, nullos colores, non panegyricum sermonem. 3) Non tacent proprios lapsus & peccata. 4) Abhorrent a mendacio 2. Cor. IV. 2. 1. Thess. II. 3. 4. 5. 6.

§. 5.

§. 5. *Enthusiasmi* opinionem a Christo & Apostolis removent 1°. Ipsius doctrinæ & Scriptorum consideratio, quæ sapientissimas de Deo notiones, & sanctissimas vitæ Regulas continent. 2°. Non de uno aliquo homine agitur; sed de multis, in quibus ne una quidem invenitur emotæ mentis nota.

§. 6. *Fraudem* pariter ac *Enthusiasmum* refellunt Passiones & Cruciatus Christi & Apostolorum. 1) Impostores non sunt nisi ob speratum præmium. Ubi autem nullum est præmium, sed contraria omnia, ibi locum non habet impostura. 2) Enthusiastarum rara constantia; & in cruciatibus præsentia mentis nulla est.

§. 7. Jam vero de *Miraculis* duæ potissimum quæstiones tractandæ. I. An Miracula sint vera & certa signa veritatis ac divinæ missionis? II. An Christus & Apostoli miracula ediderint?

§. 8. *Miracula* sunt actiones vel eventus, hominum & naturæ vires superantes, adeoque extraordinarii & insoliti.

§. 9. Quamvis autem notum haud sit, quousque hominum & naturæ Vires sese extendant; immo etiam certum sit, per rerum naturalium sagacem usum ac per artes Mechanicas mirabilia edi posse; vera tamen Miracula, qualia ediderunt Moses,

 Prophetæ,

Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli, facile ut vires naturæ prorſus ſuperantia agnoſci poſſunt. Talis eſt ægrotorum curatio, mortuorum excitatio, maris & fluvii diviſio, aliaque innumera.

§. 10. Non debemus in admittendis miraculis faciles eſſe, nec quidvis mirabile, pro miraculo habere: ſed potius judicium ſuſpendere, ac ſollicite inquirere, primum an vere factum; dein an veri Miraculi indicia adſint, ut conſtet, ope divina id effectum eſſe.

§. 11. Vera miracula ab aliis mirabilibus diſtinguuntur 1°. Magnitudine. 2°. Varietate. 3°. Duratione. 4°. Uſu. 5°. Fine ſ. Scopo.

§. 12. *Magnitudine* differunt miracula, ab iis, quæ per *Artes Magicas* & hominum fraudes fiunt, 1) quia Dei Sapientia & Bonitas permittere non poteſt, ut vel Diabolus vel aliud Ens, æque magna efficiat opera, ac ipſe Deus. 2°. quia res ipſa differentiam Magnitudinis demonſtrat. Vid. Exod. VII. & VIII. Act. VIII. 13. 19. XIII. 8. 11. ubi ejus rei exempla occurrunt.

§. 13. *Varietas* miraculorum heic multum efficit. Nam ſi unum tantum & pauca, eaque ejuſdem generis omnia fiant mirabilia, poſſit ſuſpicio eſſe, vel arte humana, vel ope Entis alicujus homine potentioris,

tentioris, sed Deo inferioris, ea fieri. Sed ubi tam multa, tam varia, aliis atque aliis locis & temporibus facta sunt, præsentibus variis testibus; ibi dubitari non potest, quin DEUS sit Auctor.

§. 14. *Duratio* miracula vera a falsis distinguit, dum res est sine exemplo, quod homines absque ope divina per longum tempus talia patraverint, qualia Moses annis 40., Christus & Apostoli, dum in terris erant.

§. 15. Ex *Usu* miraculorum ita argumentamur. Miracula vera semper in veram utilitatem hominum proficiscuntur, sicut Moses Populo Israëlitico profuit, Christus & Apostoli ubique benefecerunt; cum e contrario Cacodæmonis aut impostorum actiones ad delusionem & perniciem hominum dirigantur.

§. 16. *Finis* Miraculorum est certissimum & evidentissimum divinitatis eorum indicium. Nam si is appareat esse divinis perfectionibus contrarius, patebit ipsum illud mirabile, quod factum est, aliunde, quam a Deo, originem habere. Id quod ipse Deus indicat, Deut. XIII. 1 - 5. conf. 1 Joh. IV. 1 - 3. Galat. I. 8. 2 Thess. II. 9. 10.

§. 17. *Altera* nunc quæstio sequitur; nimirum an *Miracula*, quæ in Evangeliis me-

 morantur,

morantur, *vere contigerint?* Hoc probatur *testimoniis*; & quidem 1) *Amicorum* R. C. 2) *Inimicorum*; 4) Ipso rei *eventu* & *sequelis* illorum miraculorum.

§. 18. *Amici* sunt Evangelistæ & Apostoli, ceterique Christiani, qui primis post C. N. Sæculis vixerunt. Hos existimamus esse Testes fide dignos, adeoque nos illis tuto confidere; eo quod 1°. potuerunt verum dicere. 2°. voluerunt quoque id facere. Immo vero 3°. alios fallere non potuerunt.

§. 19. *Potuerunt* Apostoli de Miraculis Jesu vera narrare, quia fuerunt testes oculati, qui familiariter cum illo vivebant, ubique aderant, immo & multa ipsi agebant. 1. Joh. I. 1. Ceteri ab iisdem audiverunt, nec ab uno solum, sed a pluribus. Luc. I. 1. 2. *Nec potuerunt decipi.* Nam 1) ex tam multis actionibus saltem in una fraudem deprehendissent. 2) Ex tam multis hominibus, minime credulis, saltem unus fraudem odoratus fuisset. 3) Non passi essent mortem & tam diros cruciatus, nisi de rebus illis certi fuissent; Act. IV. 20.

§. 20. *Voluerunt* vera tradere; 1) quia fuerunt homines sinceri & veritatis amantes, cujus rei indicia tam in doctrina, quam in vita, immo & in Scriptis plurima, fraudis nulla, reperiuntur. 2) Quia ex fraude

de nullum fructum vel capere vel ſperare potuerunt. Introducunt Magiſtrum ipſis afflictiones & perſecutiones prædicentem, cujus & exemplum evidentiſſime docebat, quid diſcipulis exſpectandum eſſet. Ipſi idem & ſibi ſuisque ſectatoribus prædicebant, & quotidiana experientia ſentiebant. 3) Gloriam nec deſiderabant, nec ſperare poterant. Nam plena ſunt illorum ſcripta contemtu Gloriæ, propriæ indignitatis confeſſione, infirmitatum ac lapſuum commemoratione, uniusque Dei, ad quem omnem Gloriam referunt, celebratione.

§. 21. *Alios fallere non potuerunt;* quia iis temporibus iisque in locis docebant, ubi facile quilibet veritatem eorum, quæ narrabant, explorare poterat; quod ſine dubio etiam multi fecerunt. Itaque deprehendiſſent homines illis minime faventes fraudem, niſi veritati omnia conſentanea fuiſſent. Nec enim tantum rudis plebecula, ſed ex ſapientioribus ac doctis haud pauci eorum prædicationi crediderunt.

§. 22. Adſunt porro 2) *Teſtimonia Inimicorum*, quales ſunt Judæi, Gentiles, Mohammedani. De Judæis vid. Matth. XII. 24. Joh. V. 10. &c. Joh. XI. 47. Marc. VI. 14. Act. XIX. 13. &c. Item *Talmudiſtas* variis in locis. Additur a multis teſtimonium *Joſephi* XVIII. 4. quod quidem mihi genui-

num videtur, saltem quoad summam rei, consentientibus Codicibus &c. Neque negant veritatem historicam Miraculorum Christi *Celsus*, *Julianus*, *Mohammed*, cujus *sententiam de J. C.* doctissime expendit pl. Ven. noster *J. L. Frey* in Dissert. a. 1703. edita.

§. 23. Veritas historica *Miraculorum* Christi & Apostolorum confirmatur 3) ipso rei *eventu* & *sequelis* ad hodiernum diem durantibus. Hic eventus, hæ sequelæ sunt; Christianæ Religionis propagatio intra breve tempus sola prædicatione Evangelii facta. Cui caussæ illam tribuemus? Non auctoritati, potentiæ, armis, eloquentiæ, splendori, astutiæ præconum, quibus omnino carebant. Non ipsius Religionis C. naturæ, corruptioni humanæ minime blandienti. Non spei commodorum terrenorum, quæ suis non conciliat sectatoribus. Ergo Miraculis eorumque soli veritati. Quod si enim illa vere facta non fuissent, ipsa Religionis Chr. propagatio sine miraculis facta, loco maximi Miraculi habenda esset.

§. 24. Adde porro immensam illam *Martyrum* multitudinem, quorum constantia in atrocissimis suppliciis ostendit, ipsos de veritate Evangelii fuisse persuasos. Neque enim quisquam sciens ac volens ad erroris

erroris confirmationem moritur, aut si id fiat, rarissimum est. Quid inde præmii sperare posset? Num Gloriam, quæ auctorem quidem alicujus doctrinæ, non sectatores cœcos, maneret? Et quis Gloriam per cruciatus præsentissimos & mortem atrocissimam quærit?

§. 25. Neque etiam de Martyribus dici potest, fuisse homines rudes, credulos, fanaticos, qui facile possent decipi. Nam, 1°. inter eos fuerunt etiam docti, philosophi, Viri illustres; 2°. non opus erat magna eruditione aut magno mentis acumine, ut constaret de veritate miraculorum. 3°. Non poterant decipi, cum ex parte maxima in ipsis & per ipsos fierent miracula. 4°. Præsentis animi, & sui compotis indicia perpetuo ediderunt.

§. 26. Falso jactata aliorum Miracula, si cum Christi & Apostolorum Miraculis conferantur, facile distinguuntur. Talia sunt miracula *Pythagoræ* & *Apollonii Tyanæi*.

1. *Pythagoræ* talia nonnulla adscribuntur, quæ in se & sua natura sunt impossibilia & contradictoria; ut cum traditur, eodem die Metaponti in Italia, & Taurominii in Sicilia fuisse, ac similia.
2. Talia cum tradantur, etiam reliqua fiunt suspecta. Nam menda-

cium

cium in una parte narrationis deprehensum monet, etiam ceteris non posse nos tuto confidere.

3. Scriptores de Vita Pythagoræ, *Jamblichus* & *Porphyrius*, multis Sæculis illo posteriores fuerunt; nec provocant ad testes oculatos; sed ad traditiones Pythagoricorum, aut famam, de quibus tamen ipse dicit *Jamblichus*, eos multa comminisci. De incertitudine Historiæ Pythagoræ multis agit *J. Bruckerus* V. C. in Hist. Crit. Philosophiæ T. I. p. 991.

4. Aperte prodidit uterque cur *Pythagoram* ita extulerit; nempe ut Religionem Chr. refellerent, cujus ingenti odio imprimis *Porphyrius* flagrabat. Jam vero quam fidem illi Scriptores merentur, qui ex adfectibus scribuut?

5. Confusi etiam *Pythagoræ* plures; adscriptæ uni res mirabiles etiam aliorum Virorum magnorum Antiquitatis; res sæpe simplices & naturales, ut θαυμαστὴς famam augerent homines, in miracula mutatæ sunt.

6. Variis indiciis constat, *Pythagoram* impostorem fuisse, ut ex ipsis quibusdam

busdam jactatis Miraculis constat. Vid. Cl. *Brucker* l. c. p. 1014. &c. Huc pertinet descensus ejus ad inferos, jactata perceptio Musicæ cœlestis, Metempsychosis, præstigiæ, quas & veterum nonnulli notaverunt.

7. *Apollonii Tyanæi* Historia est penitus fabulosa, ut Viri docti jamdudum monstraverunt. Vid. *Bruck.* T. II. p. 98. *Philostratus* scriptor Vitæ ejus, 100. annis ipso recentior, usus quidem, ut ait, antiquiorum scriptis; sed quæ post ipsum nemo vidit: adde quod refutatus *Philostratus*, &, ut fabulosus, rejectus ab *Eusebio Cæsariensi* peculiari scripto, ut pateat, omnia aut ad imposturas & præstigias *Apollonii*, aut ad mendacia *Philostrati* referri. Neque etiam ullus alius veterum eorum miraculorum facit mentionem. Confer *le Sueur* Hist. de l'Eglise & de l'Empire a. 89.

§. 27. De Mirabilibus *Magorum Ægypti* Exod. VII. & VIII. commemoratis, quæ objici solent, notanda hæc sunt. Illa Opera aut vi divina sunt facta, aut non fuerunt miracula. Si prius dicas, sequitur Deum miraculis uti ad homines decipiendos, quod

quod blaſphemum. Ergo poſterius. Quod & inde confirmatur, quia Ægyptiorum mirabilia fiebant ad confirmandam Idololatriam. Ad hanc vero, utpote rationi ipſi contrariam, nulla miracula quidquam valent, vel potius ejus confirmandæ gratia nulla miracula fieri poſſunt.

§. 28. Eorum ſententia erronea eſt, qui ſtatuunt, DEUM, volentibus Magis, quædam feciſſe miracula; 1°. ut Rex Ægypti induraretur, & inde poſtea puniretur. 2°. Ut eluceret inſignis differentia inter miracula Môſis & Magorum, atque ita Iſraëlitæ magis confirmarentur.

§. 29. Nam indignum Deo, hominem miraculis indurare. Nec ad indurationem requiritur poſitiva Dei actio; ſed tantum permiſſiva. Porro mirabilia Magorum absque ope divina, meris artibus illorum hominum perpetrata, ſufficientem habebant vim Pharaonis obſtinaciam augendi; docente experientia, plurimos homines iſtis fraudibus decipi. 2) Differentia inter miracula Moſis, & Magorum mirabilia, eſt manifeſta, nec ad talia producenda vis divina in Magis requirebatur. Immo vero contradictorium eſt, facere miracula ad vincendam obſtinationem Pharaonis, & alia facere miracula, ad eam confirmandam,

ut

ut ita miracula miraculis, vis divina, Deus, sibi ipsi opponeretur. (*a*)

(*a*) Non omnibus placet, miracula Mag. fuisse meras præstigias humanæ artis; sed putant, dæmonem illis adfuisse; sicut adfuit illi *Ancillæ*, de qua Act. XVI. 16. - 18. Nihilosecius differentiam claram fuisse inter Mosis & Magorum miracula.

§. 30. Paucis etiam verbis refutamus sententiam *Th. Woolstoni*, Angli, qui ad Religionis Chr. veritatem evertendam ingressus est novam viam, dum statuit, S. Scripturam, & potissimum narrationes Evangelistarum de miraculis & Resurrectione Chr. allegorico, non litterali sensu esse intelligendas. Hujus opinionis duo adfert argg. 1) Autoritatem Patrum, quos adserit allegorice omnia interpretatos esse. 2) Quorundam miraculorum, ait, naturam ita comparatam esse, ut absurda & improba esse videantur.

§. 31. ℞. ad 1. falsum est, Patres omnia miracula Christi allegorice interpretatos esse. Et quamvis allegoriis nimium studuerint, non tamen allegoricum sensum solum esse verum sensum censebant. Ubi notandum, quod *Woolstonus* loca Patrum mala fide citet. Deinde quamvis verum esset de Patribus, inde non sequeretur, recte id factum, ut ea, quæ historice narrantur, allegorice intelligerentur.

§. 32.

§. 32. ℞. ad 2. Ejectio Mercatorum & numulariorum ex Templo Matth. XXI. 12. Dæmonum ex obsessis Gadarenis Matth. VIII. quibus maxime utitur ad miracula Servatoris nostri reprehendenda, nihil habent injusti. Porro detrimentum quibusdam illatum compensabatur insigni utilitate, quam ceteri inde consequebantur. (b)

(b) Vindicias hujus posterioris miraculi contra *Woolstonum* dedit V. C. *Joh. Grynæus*, Academiæ nostræ quondam lumen, Opusc. p. 92. Anglorum adv. *Woolst.* animadversiones collegit *Stackhouse* in *Sens litteral de l'Ecrit. S. defendu:* qui liber Gallice editus Hagæ Com. 1738.

§. 33. Cum ergo *Miracula* tam insigne præbeant argumentum pro veritate R. C., patet illos nec sapienter nec pie agere, qui miraculorum magnitudinem imminuunt; quod inter alios illi faciunt, qui *Dæmoniacos* in Evangelio memoratos non a Dæmone obsessos, sed morbo quodam laborasse contendunt, quod quam sit falsum, vel ex sola locorum, ubi eorum mentio, collatione patet.

CAP. XX.

DE PROPHETIIS.

§. I. PRophetiis etiam haud mediocriter confirmari credimus R. C. ubi I. probamus,

probamus, Prophetias esse argumentum divinæ originis & veritatis. II. Religionem Chr. pro sua confirmatione allegare posse Prophetias eventu comprobatas.

§. 2. Per *Prophetiam* intelligimus prædictionem eventuum naturalium, ex cognitione caussarum & Legum naturalium proficiscentium; nec talem, quæ ex quibusdam signis externis per experientiam colligitur; nec denique præsagium qualecunque humanum, quod in rebus politicis nonnihil valet.

§. 3. *Prophetia* est certa prædictio futurorum libere ac velut casu contingentium, ubi Mens humana nec determinationem nec dispositionem caussarum ac eventuum cognoscere potest. Qualis ex. gr. prædictio Nativitatis alicujus hominis &c.

§. 4. Hoc sensu Prophetia soli Deo competit, & illis, quibus Deo placuit futura revelare. Neque enim, ut nonnulli sibi persuadent, Prophetia potest esse effectus imaginationis firmæ, ac Enthusiasmi, seu furoris, qualem pagani suis vatibus tribuebant. Hæc enim cœca sunt; ac fieri non potest, ut de futuris verum prædicat furor, quum ne sapientia quidem id efficere queat.

§. 5. Ut vero constet, Prophetias esse certum signum divinæ originis & veritatis R. C., probandum est I. ipsos Prophetas

ex certis notis persuasos fuisse, de Revelationis sibi factæ veritate. II. Alios etiam de eadem re certos reddere potuisse. (*a*)

(*a*) *Witſ.* de Proph. c. 15. Miscell. S. T. I.

§. 6. Quod ad I. attinet; Notæ illæ fuerunt; 1) insignis quædam Majestas & splendor lucis & gloriæ Deo dignus, quem ipsi Prophetæ aliquando ferre nequirent, ita ut haud mediocriter & animo & corpore commoverentur. 2) Prophetis cognita erat ac familiaris DEI vox, sive internis sive externis motibus excitaretur, sicut amico amici sermo notus est, ita ut non facile decipiatur. 3) Sæpius ipsa rerum revelatarum natura talis erat, ut divinitatis haberet manifestos characteres. Hi consistunt potissimum in θεοπρεπείᾳ, s. rerum illarum cum divinis virtutibus convenientia. 4) Accesserunt miracula, quæ Prophetas de oraculis acceptis certos redderent.

§. 7. Hæc cum ita sint, non potuerunt facile decipi Prophetæ in divina Revelatione agnoscenda. Vel enim omnes illæ notæ simul aderant, vel saltem una illarum, si ceteræ deficerent. Neque adeo Enthusiasmo s. Fanaticismo agebantur, ut ipsi Mentis suæ compotes non essent; & sibimet ipsis somnia fingerent.

§. 8. Alios II. de suæ missionis veritate certos facere potuerunt, 1°. constante ac perpetua

perpetua adſeveratione. 2°. Sanctitate & innocentia vitæ ſuæ. 3°. Priorum prophetiarum complemento. 4°. Aliquando DEUS Prophetæ miſſionem obſignavit miraculis, cujus rei in Moſe exemplum habemus; Exod. IV. ut de aliis taceamus.

§. 9. Neque tamen hoc ſufficit. Sed opus eſt, ut etiam monſtremus, donum Prophetiæ eſſe argumentum veritatis doctrinæ, quam homo adfert, qui eo dono eſt inſtructus. Iſtud autem colligimus ex eo, quod Prophetia eſt res divina, quæ non vi hominum, ſed Dei conceditur. Jam vero Deus, qui verax eſt, non conferet vim ſuam ad confirmandum mendacium. Itaque quæ doctrina Prophetiis confirmatur; ſ. in cujus doctrinæ confirmationem illæ conceſſæ ſunt, eam veram eſſe oportet.

§. 10. Iſtud pertinet ad veritatem Revelationis cognoſcendam. Ceterum, ne facile decipiamur falſis Prophetiis, obſervandum eſt, Characteres falſæ Prophetiæ manifeſtos eſſe; 1°. Si argumentis idoneis probari non poſſit. 2°. Si Deo digna non ſit. 3°. Si aliquid aſſeveret, quod notionibus naturalibus boni & mali moralis conforme haud ſit. 4°. Si eventu non comprobetur.

§. 11. Neque etiam contemnendum eſt hoc, quod ad confirmationem Religionis Judaicæ & Chriſtianæ concurrerunt pluri-

mi Prophetæ, qui diversis locis atque temporibus scribentes aut docentes sibi invicem testimonium veritatis exhibuerunt.


§. 12. Sunt autem *Prophetiæ*, quibus confirmatur R. C. veritas, duorum generum. Aliæ sunt V. T. tum in aliis, tum in Christo & rebus N. T. impletæ. Aliæ sunt N. T. a Christo & Discipulis prolatæ, quæ suo tempore impletæ sunt partim, partim implebuntur.

§. 13. Prioris generis existere multas notum est, quibus prædicuntur varii eventus, ut: Captivitas Babylonica, ejusque duratio & finis, Messiæ adventus cum omnibus circumstantiis, quæ omnes cum aliis plurimis, docente Historia, impleta sunt.

§. 14. N. T. prophetiæ sunt: de proditione Judæ, de morte & resurrectione Christi, de excidio Hierosolymorum, de Evangelii propagatione &c. Quas iterum eventu confirmatas fuisse constat. De rebus nondum factis, quæ prædicta sunt, procul dubio etiam eventu comprobabuntur

§. 15. Si quis excipiat, Prophetias post eventum demum consignatas fuisse; illum erroris convincet Historia Critica S. Scripturæ, quæ ostendit, Libros, quibus hæ prophetiæ continentur, jam ante eventum plerarumque rerum prædictarum, in plurium manibus fuisse, atque adeo authenticos. Quod suo loco pluribus tradetur.

CAP.



CAP. XXI.

DE METHODIS adversus Incredulos omnis generis, & praecipue Judaeos, disputandi.

§. 1. INcredulos dicimus illos omnes, qui R. C. veritatem non agnoscunt. Talium genera sunt complura. 1) Athei, 2) Gentiles. 3) Judaei. 4) Mohammedani. 5) Deistae s. Naturalistae.

§. 2. Cum *Atheis* de R. C. disputare non possumus; quamdiu sunt Athei, s. antequam de Existentia Dei ceterisque veritatibus Religionis Nat. convicti fuerint. Non enim potest illi comprobari Revelatio divina, qui Deum ipsum negat, adeoque omnem Religionem explodit.

§. 3. *Gentiles* vero DEUM ignorant, & complures sibi Deos fingunt. Immo vero cuivis regioni suos esse Deos proprios opinantur. His ante omnia Dei unitas; & idolorum vanitas, per unius Dei perfectiones, ex Theologia Nat. demonstranda est. Unde apparet, illos inepte facere, qui nostris temporibus ad *Indos* proficiscuntur, & Nat. Religionis nullam rationem habentes a Re-

 velatione

velatione commendanda, & morte Christi inculcanda incipiunt.

§. 4. Tales nullam convictionem; sed fortassis apud nonnullos Enthusiasmum, producunt: dum homines ab erroribus haudquaquam resipiscentes, traducunt ad Crucem Christi, cui aut in speciem tantum, aut sine fundamentis, adeoque temerariam, fidem adjungunt, a qua facile resiliant, quoniam fundamentis caret.

§. 5. Unde & fit, ut haudquaquam tot millia Gentilium convertantur, quot converti aut conversa esse isti Præcones jactant; ut sc. hac jactantia imperitis fucum faciant, ac sibi gloriam comparent.

§. 6. Neque objiciendum, quod Methodus nostra nimis lente progrediatur. Nam sat cito, si sat bene. Nimis festinando convertitur nemo; sed, ut dictum, aut Hypocrita, aut fanaticus fit.

§. 7. Ridiculi & Pontificiorum nonnulli *Missionarii*, qui tot se convertisse putant, quot baptizaverint. Unde quacumque s. vi s. arte operam dant, ut & invitos & ignaros, immo & infantes Gentilium aqua adspergant, sicque Christianis annumerent, qui tales nunquam fuerunt.

§. 8. Exemplum *Apostolorum* nobis hac in re convenientem Methodum monstrare debet, quod tuto imitamur, quatenus possumus.



sumus. Ita Paulus Act. XIV. cum Lystris doceret, Gentes miraculo attonitas 1) monuit, ut a vanis idolis convertant se ad DEUM viventem ℣. 15. 2) Ejus beneficia, tanquam fontes obligationis, commemorat ℣. 16. & 17. ac inde ad verum ejus cultum traducit.

§. 9. Sic & Act. XVII. apud Athenienses 1) notum facit Deum verum, & idolorum vanitatem indicat. 2) rectum modum eum colendi ostendit. 3) adfert motiva cum a beneficiis, tum a judicio Dei desumta. Notandum autem, Lucam non integros sermones Apostolorum scripto mandasse; sed summam tantum. Quis enim credet, tantummodo ea, quæ scribuntur, ab Apostolis dicta esse?

§. 10. Eandem methodum secutos esse primos Apostolorum successores patet ex Libris ipsorum; imprimis autem ex Apologiis adversus paganos, in quibus de idolorum vanitate potissimum differitur. Unde & factum est, ut Gentiles Christianis potissimum τὴν ἀθεότητα, objicerent, ob Deorum suorum contemtum.

§. 11. Ceterum sicut illi perverse agunt, qui incredulis primo statim tempore doctrinam de Mysteriis R. C. inculcant: Ita & illi peccant, qui R. C. omnibus mysteriis spoliare student, eo tantum scopo aut

prætextu, ut facilius increduli convertantur; quos præter alios egregie refutavit Cel. Tig. Theologus *J. Zimmermannus* in Dissert. de Methodo disp. adv. incred.

§. 12. Tertium genus incredulorum sunt *Judæi*, qui Revelationem V. T. quidem admittunt; sed Religionis Christianæ divinitatem negant. Itaque nec *Jesum* pro *Messia* habent, nec Apostolorum & Evangelistarum scripta, ut divina, venerantur.

§. 13. *Judæi*, qui nostris temporibus vivunt, sunt reliquiæ Israëlitarum, qui ab Abrahamo oriundi, a Deo in populum peculiarem electi fuerant. Iisdem Moses legem & voluntatem Dei tradiderat, quam Prophetæ postea ulterius explicarunt, & a corruptelis vindicarunt, adeo ut non tantum Ceremoniis & Typis; sed & apertis prædictionibus de *Messia*, abunde edocerentur.

§. 14. Isti autem variis erroribus ac præjudiciis obcæcati, hæc omnia in sensum perversum traxerunt, adeo ut D. N. J. C. pro *Messia* haud agnoscant, & sic alium adhuc anxie exspectent, ipsorum desideriis, ut sperant, satisfacturum.

§. 15. Consentiunt autem nobiscum *Judæi* 1°. in eo, quod statuunt dari divinam Revelationem, & talem in V. T. contineri. 2°. tam Miracula, quam Prophetias esse

certissima divinæ missionis indicia. 3°. Messiam a Deo Patribus promissum, & a Prophetis prædictum esse. 4°. Jesum Nazarenum ante 17. Sæcula in Palæstina vixisse, Miracula fecisse, & tandem Cruci adfixum esse.

§. 16. Hinc jam ista methodus *Judæos* de Religionis Christ. Veritate convincendi duplex emergit. I. Si ex diligenti collatione Prophetiarum colligamus, quis & qualis Messias esse, quem in finem venire, quid agere, quid pati &c. debuerit. Quod dein ad *Jesum* nostrum applicandum est.

§. 17. Supponitur autem heic Librorum N. T. fides saltem historica, ut inde tuto colligi possit, in Jesu impleta fuisse Prophetarum Oracula. Ea autem in dubium non magis vocari potest, quam Antiquitas & historica fides Mosis ac Prophetarum, cum sint Libri authentici, ac antiquitus recepti.

§. 18. Sed, quoniam ea Methodus multis difficultatibus implicita, & longa est, propter plurimas discrepantes Prophetiarum interpretationes; præferri debet II. qua iisdem argumentis, quibus Judæi confirmant V. T. veritatem, probatur veritas N. T. ac divinitas. Hæc autem sunt illa ipsa, quæ ante attulimus, partim ex internis characteribus veritatis ac divinæ origi-

nis, partim ex argumentis externis, depromta. Nam hæc æque Scriptis N. T. ac V. applicari possunt.

§. 19. Post hæc diligentissime occurrendum erroribus ac præjudiciis, itemque objectionibus *Judæorum*, quarum præcipuæ hæ sunt.

§. 20. I. *Error* est, novam Revelationem non fuisse necessariam, post illam, quæ in Mosis & Prophetarum scriptis continetur. ℟. Fuit necessaria 1) ob sensum Revelationis Mosaicæ corruptum, quo factum, ut ab ejus scopo aberrarent Judæi, Rom. x. 3. 4. 2) ob prædictiones Prophetarum, quibus illa est promissa. Vid. inter alia loca Jerem. xxxi. 31 - 35.

§. 21. II. *Error.* Nusquam in Libris Mosis & Prophetarum præcipi fidem in Messiam, tanquam medium necessarium ad salutem. ℟. 1) Universus cultus cæremonialis respiciebat in Messiam, & fidem in eum alebat. Hoc inde probatur, quod cultus ille per se Deo non placuit; sed propter aliquem finem institutus est, sicut Deus testatur Ps. LI. 18. Jerem. VII. 22. Ezech. xx. 25. præcipue vero Ps. XL. 7. quæ verba ipsi Judæi Messiæ tribuunt. Sacrificium porro Messiæ memoratur Esaj. LIII. 7.

§. 22. 2) Fides in Messiam præcipitur Deut. XVIII. 15. 18. Hoc quidem dictum de

de Messia intelligebant veteres Judæi, ut patet ex Act. III. 22. 23. VII. 37. Recentiores de *Josua interpretantur*, sed imperite; 1) quia Josua non fuit Propheta; sed solummodo Populi Dux. 2) nusquam ita dicitur; nec 3) invenimus in Libro ejus Prophetias. Porro de alio nullo intelligi debere verba Mosis patet ex Deut. XXXIV. 10. 11. 12. (*a*)

(*a*) Lege de Propheta Deut. XVIII. 15. promisso C. V. *Joh. Grynæi* Prælectionem, Opusc. p. 65.

§. 23. Ad fidem in Messiam pertinet etiam Ps. II. 6. - 12. quem a Veteribus Judæis de Messia intellectum fuisse constat multis Rabbinorum testimoniis. Memorabile est, quod in Cod. MSto Erfurtensi, qui continet *R. Salom. Jarchi* Comment. in Psalmos, adfirmetur idem, quæ tamen verba in editis Bibliis Buxtorf. nescio quomodo, sunt omissa. (*b*)

(*b*) Hæc ex *Reinbeck*. Exp. August. Confess. qui ipse Codicem inspexisse ait, refert *Stapf*. Theol. pol. T. III. p. 142.

§. 24. Eodem merito etiam referuntur verba Esaj. VIII. 14. XXVIII. 16. Ps. CXVIII. 22. 23. Item Malach. III. 1. & IV. 2. Prioribus locis agitur de *Lapide*, quem ponet Deus *in Sion*. In Malach. de Messia & præcursore ejus, ubi iterum veteres Judæi nobiscum sentiunt. Fidem in Messiam sub V. T.

T. necessariam fuisse patet etiam ex hoc; quod Messias Israëli promissus fuit; at promissionibus Dei fides est habenda.

§. 25. III. *Error.* Satisfactionem pro peccatis non fuisse necessariam; sed ea poenitentibus per solam Dei misericordiam remitti. Responsio ad hanc obj. reperitur supra in *Cap. 9. de attrib. Dei* §. 44. & seqq. Quum enim Justitia Deo sit essentialis, nec per poenitentiam solam expiari possint peccata; sequitur satisfactionem, quam per Jesum Messiam factam docuerunt Apostoli, fuisse necessariam.

§. 26. IV. *Error.* Prophetias V. T. de Messia non ita claras esse, ut sensu litterali ac vero de Jesu Nazareno sint necessario intelligendæ. ℞. Sunt ita claræ, ut non contumacibus abunde satisfaciant; pertinacibus autem adversariis nihil unquam satisfaciet.

§. 27. Probamus autem Jesum Nazar. fuisse verum Messiam ex collectione characterum, qui Messiæ a Prophetis tribuuntur. Pertinent characteres vel ad ejus *Personam*, vel ad *Munus*.

§. 28. Criteria s. Characteres *Personæ* sunt I. Præcursor. II. Tempus adventus. III. Stirps atque familia. IV. Locus, & V. Modus nativitatis.

§. 29. *Præcursor* debuit venire in Spiritu & Virtute Eliæ, Mal. III. 1. IV. 5. 6. Esaj.

XL. 3. Talis fuit *Johannes Bapt.* quem vixisse tempore *Herodis Antipæ*, baptizasse, sancte vixisse, docuisse magna auctoritate, innocentem ab Herode occisum testatur *Fl. Josephus* Ant. XVIII. 7. Vid. Matth. III. XI. 1 - 14. Luc. III. Joh. I.

§. 30. *Tempus* designatur Gen. XLIX. 10. per *Sceptrum* non ab Juda aufferendum, donuc venerit *Schilo*, ubi veteres recte; recentiores de *Virga* castigationis; male. Dan. IX. 24 - 27. ubi 490. anni sunt incipiendi ab a. 20. *Artaxerxis Longim.* Nehem. II. quo facto tempus illud mortem Christi includet: Adde Hagg. II. 7 - 10. de Templo secundo.

§. 31. *Stirps & Familia*, apud Judæos in confesso est; quippe qui constanter statuunt, Messiam ex Tribu *Judæ*, & domo *Davidis* proditurum. Vid. Matth. XXII. 42. Jesum autem Nazarenum talem fuisse, tanquam de re nota testatur Hebr. VII. 14. item Matth. I. & Luc. III. ex publicis Genealogiis probarunt eandem Jesu stirpem.

§. 32. Excipiunt Judæi I. discrepare Evangelistas in hac Genealogia. ℞. Ex hac discrepantia nulla unquam difficultas Apostolis mota legitur. Unde colligimus, iis temporibus Genealogias illas dubias haud visas, sed facile fuisse ad omnia respondere; sicut & nunc haud desunt rationes respondendi probabiles variæ, de quibus Vid.

Comment.

Comment. ac inſtar omnium *Spanhem.* Dubia Evang. P. 1.

§. 33. Obj. II. Evangeliſtas tantum recenſere Genealogiam *Joſephi*, qui fuerit ſecundum Chriſtianos pater Jeſu putatitius, non verus. Mariæ autem genus nusquam recenſeri, quæ fuerit Mater. ℞. Uxorum, qualis Joſephi, ſaltem deſponſata, fuit Maria, in Genealogiis Judæorum non habetur ratio: ſed illæ in Viris cenſentur. Ut jam taceam alias rationes, ut cum creditur alter Evangeliſtarum Joſephi, alter Mariæ genus enarrare, aut Mariam Virginem ἐπίκληρον fuiſſe.

§. 34. Ceterum hoc eſt certiſſimum, quod nunc quidem Genealogiæ apud Judæos ita confuſæ & incertæ ſint, ut ne quidem conſtet, aliquem ex poſteritate Davidis ſupereſſe. Quomodo ergo agnoſcent Meſſiam Judæi, ſi talis veniret, qualem adhuc exſpectant?

§. 35. *Locus* Nativitatis prædicitur Mich. v. 1. nec diffitentur Judæi, Jeſum Nazarenum *Bethlehemi* natum eſſe. Ceterum recentiores, cum videant, nullam ſpem eſſe, ut Meſſias Bethlehemi amplius naſcatur; contendunt, locum Michæ non de nativitate; ſed tantum de Origine ejus agere, quia ſc. David Bethlehemi natus. ℞. 1) Etiam hoc convenit Jeſu Nazareno, ut vidimus §. 31.

2) dicit

2) dicit Propheta, *exibit*; non, *exiit*. Tanquam de re futura, non præterita. 3) distinguuntur duo exitus Messiæ; alter futurus, idque ex Bethlehemo; alter factus *ab antiquo*, *a diebus Sæculi*, i. e. ab æterno: ille secundum humanam, hic secundum divinam naturam Messiæ.

§. 36. Ad *Modum* Nativitatis pertinet ejus *Mater Virgo*, Esaj. VII. 14. Hunc locum, ut probe intelligamus, observandum est, Prophetam uti Methodo Prophetis usitata, ut a consideratione periculi atque liberationis præsentis atque corporalis ad considerationem liberationis spiritualis, & olim per Messiam futuræ transeat. Deinde certum est, nomen עלמה, ubique in scriptura *Virginem* denotare, quod omnium locorum consensu probatur. Unicus est Prov. XXX. 19. qui dubium admittit; sed tamen haudquaquam monstrari potest, ibi non etiam *Virginem* notari.

§. 37. Sequuntur Characteres ad *Munus* Messiæ pertinentes. Heic 1°. occurrit *Munus Propheticum*, quod de Messia prædicitur Deut. XVIII. vid. §. 22. 2°. *Munus Sacerdotale*, quod prædicitur Ps. CX. 4. XL. 7. 8. Ubi simul prædicitur illum fore *victimam*, quia nimirum se ipsum offert.

§. 38. Unde porro colligitur, quod imprimis adversus Judæos observandum est,

Messiam

Messiam debuisse pati varias calamitates, & ipsam mortem. Eo pertinet Esaj. LIII. & Ps. XXII. Utrumque locum de Messia sunt interpretati veteres Judæi. Sed recentiores de variis personis, quibus haudquaquam possunt convenire, & de Populo Judaico, de quo sermo prorsus non est. Sunt & qui duplicem Messiam fingunt, quorum alter humilis & morti obnoxius, alter sublimis ac immortalis: ille filius *Josephi*, hic filius *Davidis*. Sed istud refutatione dignum non est figmentum. Duplex unius Messiæ status, non duplex Messias a Prophetis est prædictus.

§. 39. 3°. *Munus Regium* haud negant Judæi, quippe Regem Messiam adhucdum exspectantes. Sed errant graviter circa ejus Regni naturam. Fingunt sibi, exemplo Majorum suorum, Regnum *Mundanum*. Nos autem docemus, illud Spirituale esse: 1) Quod ejusmodi Regnum Deum magis deceat, tanquam illius Naturæ & Perfectionibus convenientissimum. 2) quia Spirituale Regnum divinis promissionibus magis convenit. Prophetæ de tali Regno agunt, quod omnibus omnino gentibus salutem adferat, & prosit piis illis, qui ab initio Mundi defuncti sint. Deinde ex Sensu litterali, nimis presse sumto, varia absurda sequerentur. Vid. Esaj. XI. 6. 7. 8. XIX. 19. &c. LXI. 6.

§. 40.

§. 40. V. *Error.* Existimant Judæi, Præcursorem Messiæ, *Eliam*, nondum venisse; atque ita nondum impletum esse vaticinium Malach. IV. 5. ℞. Videmus hanc difficultatem etiam olim esse motam Matth. XVII. 10-13. ubi & responsio legitur. Ad quam observandum; 1°. Ipsos Judæos de isto præcursore hæsitare, quis aut qualis sit futurus, aut quando venturus. 2°. Planum est, apud Prophetas sæpius diversis Personis propter similitudinem & convenientiam idem nomen tribui. Sic ipse Messias vocatur *David* Rex, Ezech. XXXIV. 23. XXXVII. 24. Jerem. XXX. 9. Hoseæ III. 5. Conf. Luc. I. 15-17. Matth. XI. 13. Vid. §. 29.

§. 41. VI. *Error.* Messiæ adventum, quamvis elapsum sit tempus definitum per Prophetas; differri, propter Populi peccata. ℞. Quum Deus tempus prædefinivcrit, ac id præterlapsum sit §. 30.; nulla ratio tanta esse potest, ut Deus veracitatis suæ Gloriam negligat; Num. XXIII. 19. Nec enim Deus hanc promissionem ab ulla conditione suspendit. Et constat, præcipuum adventus Messiæ finem esse Satisfactionem pro peccatis §. 37-39. Ergo Peccata populi non possunt impedire illius adventum. (*a*)

(*a*) Conf. V. C. *Joh. Grynæi* Prælect. in qua expenditur quæstio; *an adventus Messiæ ob peccata Jud. sit dilatus?* Opusc. p. 79.

§. 42. *Error* VII. Messiam DEUM non esse debere. ℞. Utique. Nam Deus esse debuit, ut Redemtionis pretium infiniti valoris esset. Habent hac de doctrina Judæi iniquum conceptum, cum ajunt Christianos docere, Deum in hominem mutatum, aut Deum sub specie humana adorandum esse. Neutrum enim verum est, nec a Christianis statuitur.

§. 43. *Obj.* 1. In V. T. nusquam dictum esse, quod Messias sit DEUS futurus. ℞. Dictum est pluribus locis, ut Esaj. VII. 14. IX. 6. 7. Conf. Matth. XXII. 42. f. ex Psf. CX.

§. 44. *Obj.* 2. ex Ezech. XXXIV. 24. 27. & Esaj. XI. 2. Priore loco dicitur Messias, *David, Servus Dei.* Posteriore tribuitur Messiæ *timor Domini.* ℞. Eadem res, eadem persona, potest diverso respectu considerari. Ita ergo etiam de Messia quædam dici possunt respectu divinæ naturæ, alia respectu humanæ. Hoc autem posteriore modo & *Servus Domini* & *timere Dominum* dicitur.

§. 45. *Error* VIII. Nondum venisse Regnum Messiæ; quia idololatria & vitia alia passim regnent & extra & intra Christianam Ecclesiam. ℞. Regnum Christi spirituale est, nec venit cum *observatione*, Luc. XVII. 20. Nihilosecius prædicatio Evangelii ab initio statim passim profligavit idololatriam & impietatem. Nunc etiam, quod

non

non omnes ad unum fere immersi iisdem vitiis & tenebris sint, soli debetur Evangelio. Sunt porro innumerabiles, quamvis haud omnes noti, in quorum cordibus per Dei gratiam vere regnet Christus. Tandem Regnum Christi paullatim consummatur. Et qui inter Christianos idololatriam exercent, non sunt Christiani tales, quales Evangelium eos esse vult.

§. 46. *Error* IX. Messiam bellum esse gesturum cum *Gog* & *Magog*, quod describitur Ezech. XXXVIII. & XXXIX. ℞. In ea descriptione nulla fit Messiæ mentio. Et ipsi Judæorum Doctores bellum illud ad finem Mundi rejiciunt. Tandem jam §. 40. probavimus, vaticinia hujuscemodi de Messia nonnisi mystice esse intelligenda.

§. 47. *Error* X. Exspectandum esse ante Messiam Templum novum, de quo Ezech. XL. seq. ℞. Veniet Messias ad Templum secundum, Hagg. II. 10. Malach. III. 1. Dan. IX. 26. Templum autem Ezech. demum exspectant alii Judæi post resurrectionem. *Maimon.* L. III. *de Resurr.* c. 8. Porro in Templo Ezech. nulla fit mentio Messiæ. Tandem Templum a Propheta mysticum describitur, quod ex variis indiciis constat.

§. 48. *Error* XI. isque gravissimus est: Resurrectionem J. C. a mortuis esse figmentum discipulorum & sectatorum ejus. ℞.

Nititur fides nostra circa hoc dogma Testimoniis fide dignis, constantibus, optime inter se convenientibus, quibus nullum deest requisitum, & habemus de eo eventu, sicut & de ceteris, testes fide dignos, quibus applicantur, quæ dicta sunt §. 1. & 17. de *Miraculis.*

§. 49. *Obj.* 1. Non prædictam esse Resurrectionem Messiæ. ℞. Prædicta est, ad id provocante Paulo 1 Cor. xv. 4. Vid. Ps. xvi. 10. coll. Act. ii. 27. 31. xiii. 33-35. ubi & Esaj. lv. 3. citatur. Item Esaj. liii. 10. 11. Ps. xxii. & xl. ut Typos taceamus. Add. Ps. ii. 6. 7. & confer Act. iv. 27. 28.

§. 50. *Obj.* 2. Jesum resurrexisse narrari, nemine præsente, neque etiam sese universo Populo, aut saltem Primoribus Judæorum ostendisse: Act. x. 41. ℞. Prædixerat Jesus suam resurrectionem publice. Ea de caussa obsignari & custodiri curarunt sepulcrum Judæorum Proceres. Custodes ergo præsentes erant, ac videbant resurgentem Dominum. Quod tantundem valere debebat, ac si universi Pontifices præsentes adfuissent. Nam illi milites ipsorum in sepulcri Domini custodia vices gerebant. Quod si veritatis certo cognoscendæ & absque fuco explorandæ cupidi fuissent, poterant ipsi tertio die, qui Resurrectioni prædictus fuerat, adesse, & propriis oculis eam intueri.

§. 51.

§. 51. Cum ergo neque Domini miraculis antecedentibus fidem haberent, nec resurrectionis testes ipsi fieri cuperent, indigni certe erant, quibus Christus post resurrectionem sese ultro monstraret: ac ne tum quidem credituri fuerunt, qui anteactis non crediderant.

§. 52. *Obj.* 3. Corpus Christi ex sepulcro ablatum fuisse ab ejus sectatoribus, cum dormirent custodes. ℟. Commemorant Evangelistæ Matth. XXVIII. milites a Sacerdotibus corruptos talia mentitos esse. 2°. si dormiverunt vigiles, quomodo sciverunt, corpus Christi a discipulis ablatum esse. 3°. Non credibile est, dormivisse milites in Statione, quod capite constitisset, per Leges disciplinæ militaris. 4°. Cur non evigilarunt, cum saxum amoveretur? quod sine strepitu fieri non potuit.

§. 53. Nullo modo etiam Apostoli potuerunt illam fraudem admittere, quippe quibus nec animus erat id faciendi, nec vires, nec spes latendi, aut occultandi facinus.

§. 54. *Obj.* 4. Resurrectionem Christi uno die citius contigisse dici, quam fuerit prædicta. Nam Corpus in sepulcro tantum jacuisse duabus noctibus & uno die. ℟. Prædixit Dominus N. resurrectionem suam tertio die futuram, Joh. II. 19. Marci VIII. 31. Matth. XII. 40. Et hoc quidem ita factum

 est,

eſt, ſi diem Veneris, cujus veſpera Dominus ſepultus eſt, diem Sabbathi, quo in ſepulcro quievit, diem Solis, cujus diluculo reſurrexit, more in omnibus aliis conſueto computemus.

§. 55. *Obj.* 5. Primos teſtes Reſurrectionis fuiſſe α) mulieres credulas. β) Angelos humana ſpecie indutos. γ) Apoſtolos, Emauntem euntes, qui Chriſtum non cognoverint. ℞. Omnes iſti teſtes fide digni. Fœminæ æque ac viri potuerunt videre ſepulcrum apertum, vacuum, lintea ſeorſim poſita ac convoluta &c. Angelos humana ſpecie apparuiſſe docet ſæpius S. Scriptura V. T. qui & tanquam tales variis modis agnoſci potuerunt. Nec ſoli Emauntici teſtes fuerunt; ſed omnes ad unum Apoſtoli, & præterea multi alii. Vid. 1 Cor. XV. 5. 6. His omnibus acceſſit Spiritus S. ſuis operibus teſtimonium confirmans, Act. V. 32.

§. 56. *Obj.* 6. In ſingulis regionibus tantum unum Apoſtolum prædicaſſe. Unum vero teſtem non ſufficere. ℞. 1) Negatur factum. Nam in multis regionibus bini aut plures, vel ſimul vel ſucceſſive Evangelium prædicaverunt. 2) Fac ita eſſe. Nihiloſecius omnes in omnibus regionibus Eccleſiæ conſtitutæ conſentiebant, adeoque idem omnium erat teſtimonium. 3) Unusquisque Apoſtolus ſuis miraculis teſtimonium confirmabat,

confirmabat, adeoque se Legatum Christi fide dignum demonstrabat.

§. 57. *Obj.* 7. Discipulis post resurrectionem tantum apparuisse Phantasma, non verum Corpus Christi. Ita Discipulis duobus Emauntem proficiscentibus, Luc. XXIV. 15. Ita ceteris Joh. XX. 19. ℟. 1°. Emauntici non agnoverunt ipsum initio, quoniam sciebant mortuum esse, nec dum resurrectionem prædicto tempore noverant contigisse. ℣. 21. seq. Quod vero dicitur ℣. 30. ἄφαντος factus, hoc non disparitionem, qualis esse dicitur Spectri vel phantasmatis; sed subitam discessionem significat. 2°. Clausis portis intravit Jesus, non spectri modo penetrans, sed portis quæ clausæ fuerant, subito apertis, & præter omnium spem reseratis, quod per miraculum contigisse manifestum est.

§. 58. *Obj.* 8. Resurrectionem mortui esse impossibilem, adeoque credi non posse. ℟. Non absolute, nec respectu Dei impossibilis est resurrectio; neque adeo incredibilis, cum ipsi Judæi credant Resurrectionem Mortuorum futuram esse, & olim nonnullos ab *Elisæo* & aliis Prophetis suscitatos.

§. 59. Possumus porro majoris confirmationis ergo, sequentia observare. I. Miracula *Mosis* non fuisse majora, quam fuerunt miracula *Christi*, nec plura. *Objiciunt*

nonnulli; Jesum ante operationem miraculi precatum esse: Joh. XI. 41. ℟. Non precabatur; sed gratias agebat Deo de exauditione, & quidem non propter necessitatem propriam; sed propter populum, qui hac ratione certus reddebatur, non præstigiis rem geri, nec ope Dæmonis; sed divina vi & auctoritate. *Objicitur* porro: Majores Judæorum, non credidisse Evangelio, unde colligatur, miracula Jesu illis suspecta fuisse. ℟. 1) Innumerabilis multitudo credidit. Nam prima Ecclesia in Judæa ex Judæis collecta fuit. 2) Judæorum Majores crediderunt miracula a Jesu fieri, quamvis non credebant a Deo esse doctrinam ejus; Sicut Magi Ægyptiorum & Pharao erga Mosen se gesserunt. 3) Oraculis veterum Prophetarum prædicta est multorum ex Judæis incredulitas. Esaj. VI. 9. Jerem. V. 21. Ezech. XII. 2. nec adeo mirum est, quosdam Evangelium rejecisse.

§. 60. Accedit ad hæc, quod non ipse modo Jesus miracula edebat; sed & Apostolis suis aliisque discipulis hanc potestatem concedebat. Unde & isti faciebant miracula in Nomine Jesu, & potestatem eam aliis per impositionem manuum conferebant.

§. 61. II. observandum est: prædictiones *Christi & Apostolorum*, æque per eventum

confirmatas fuisse, ac prædictiones *Mosis* & *Prophetarum*. Quare Religio Christiana non minore certitudine testimoniorum nititur, quam Religio Judaica. Eaque testimonia & Scriptis Authenticis & Traditione constante atque perpetua ad nos sunt propagata. Hæc partim antehac sunt a nobis probata, partim probabuntur tum, cum de S. Scriptis N. T. agemus.

§. 62. Objiciunt porro, R. C. sustulisse necessitatem Legibus Mosaicis obediendi. ℞. 1°. Non sustulit totam Legem: Vid. Matth. v. 15. Rom. III. 31. Sed Legem moralem potius perfecit Jesus, quam abolevit. 2°. Certum est cultum spiritualem a Jesu institutum multo præstantiorem esse cultu rituali. Hoc patet 1) ex eo, quod Prophetæ passim docent, cultum ritualem sine cultu spirituali Deo haudquaquam placere. 2) ex eo, quod intrinsecam & moralem bonitatem non habet cultus ritualis. Vid. Jerem. VII. 22. 23. 1 Sam. XV. 21. 3) Lex ritualis non habet vim hominem justificandi. Nam ejus scopus erat Populum Israëlis ab omnibus aliis Nationibus distinguere, Levit. XX. 24-26. ac præfigurare & designare Messiam. Hoc patet ex unanimi testimonio & assertione Apostolorum, qui id in conspectu omnium Legis Doctorum asserebant. Et quamvis in V. T. sat apertis verbis id non

declarabatur: Interim passim invenimus indicari, quod Ceremoniæ sint Typi rerum spiritualium. Talis *Circumcisio*, Deut. x. 16. Et *Sacrificia*, Psl. L. 14. Paulus ex Exod. xxv. 40. deducit justam consequentiam Hebr. VIII. 5. 6. Tandem si Cultus ritualis potuisset justificare hominem, aut debuisset illum restituere in statum innocentiæ, aut peccata apud Deum expiare. Atqui prius est impossibile; posterius itidem per illum fieri non poterat, per rationes Hebr. IX. 10. 13. 14. & X. 4. 5. 6. 18. Ex Psl. XL. 8. allegatas, itemque quod promittitur alius Sacerdos Psl. CX. Esaj. LIII. Dan. IX.

§. 63. Porro Legem ritualem non fore perpetuæ observationis Deus variis rationibus jam in V. T. indicaverat. Jerem. XXXI. 31. Hebr. VIII. 13. Idem indicant Prophetiæ de vocatione Gentium, Esaj. XI. 10. XIX. 19. 24. Michæ IV. &c. Tandem idem clarissime demonstrat Templi & Urbis destructio, sine spe restaurationis.

§. 64. Ad errores Judæorum pertinet hic quoque, quod putant, *Synedrium a Deo constitutum, ut exploret Prophetas*: Cum igitur istud Jesum rejecerit; illum merito pro Pseudopropheta haberi. ℞. probari non potest, quod tempore Prophetarum fuerit Synedrium, & quod Deus hanc potestatem

Synedrio

Synedrio dederit. Nec id fuit infallibile. Vide *Limb.* contr. erudit. Judæum. p. 558. edit. Basil.

§. 65. Sic ergo ad Errores & Obj. *Judæorum* contra R. C. Verit. respondimus. Quod si istas audiant responsiones, non poterunt amplius de illa dubitare. Si cui vero offeratur occasio cum Judæis de Religione colloquendi, ille caute in ea re agere debet, ac incipere a consideratione miseri illius status, in quo nunc per 1600. fere annos versantur, quique prædictus est a Dan. IX. & a Christo Luc. XIX. 41-44. Quænam tam longi Exilii caussa? Cur tam diu frustra exspectatur Messias?

§. 66. Nos putamus, caussam miseriæ esse *Messiam* ab ipsorum Majoribus rejectum, immo & interfectum. Aliud enim gravius peccatum haudquaquam indicari potest. Nulla certe idololatria, a qua inde a Captivitate Babylon. alienissimi fuerunt, & sunt etiamnum Judæi. Interim tamen, cur sine Rege, sine Republica, aliis populis subjecti, in omni orbe dispersi, ubique oppressi, nihilosecius ab omnibus aliis distincti manent, & manebunt, donec placeat Deo, ipsos ad veram agnoscendam Religionem adducere?

§. 67. Hanc certe spem faciunt nobis nonnulla Prophetarum Oracula, & N.

quoque

quoque T. vaticinia: Ex. gr. Hoseæ III. 4. 5. Rom. XI. 25-32. quæ loca instar omnium in Prophetis dispersorum. Nihil tamen de tempore ac de modo constat. Nec ipsorum Christianorum de hac spe eadem sententia est.

CAP. XXII.

CONTRA DEISTAS seu *NATURALISTAS.*

§. 1. QUartum genus incredulorum, adversus quos Relig. C. veritas est defendenda, sunt *Mohammedani*, de quibus sufficiunt, quæ Cap. XVI. §. 3 - 9. observata. Sequuntur ergo illi, qui *Deistæ* & *Naturalistæ* vocantur. Solet quidem nomen *Deistarum* illis attribui, qui Dei agnoscunt existentiam; sed negant ejus providentiam, & rerum mundanarum curam. Nos autem istum errorem jam antea refutavimus. Itaque nunc, prout moris est, *Deistas* cum *Naturalistis* jungimus.

§. 2. *Deismum* ergo, seu *Naturalismum*, distinguunt in *Philosophicum* & *Theologicum*. Ille

Ille dicitur, cum quis ſolam Religionem Naturalem veram & ad ſalutem hominum ſufficientem eſſe adſerit. Hic autem eſt, ſi quis veritatem quidem Religionis Revelatæ agnoſcit; ſed negat ejus neceſſitatem, ſaltem quoad myſteria, quibus Religio Revelata a Naturali differt.

§. 3. Uterque igitur in hoc convenit; quod Religionem Nat. ad ſalutem ſufficere, adeoque Revelationem non eſſe ſtatuit neceſſariam. De quo errore a nobis etiam in antecedentibus actum eſt, ubi ſcilicet de Religionis Nat. defectibus diſſeruimus, atque ita Revelatæ Relig. neceſſitatem probavimus.

§. 4. Itaque nunc quidem de priore tantum quæſtione agemus, & videbimus, quibus argumentis *Deiſtæ* ſ. *Naturaliſtæ* probent, ſolam Religionem Nat. ſine Revelatione peculiari, veram eſſe.

§. 5. *Naturaliſtæ* ſtatuunt, Religionem Nat. eſſe perfectam, ita ut ei nihil deſit, nec addi poſſit vel debeat. Hoc & nos concedimus, eo tamen ſenſu, quod homo, qua homo, ſeu creatura Dei rationalis, nulla alia Religione teneatur, præter naturalem, in qua, ſi eam perfecte a principio ſuæ exiſtentiæ ſervaſſet, beatus eſſe potuiſſet.

§. 6. Ex hac etiam cauſſa cum illis ſtatuimus, nihil in Religione revelata ſtatui

ac

ac doceri posse, quod Religioni Nat. contrarium sit. Quæ ergo Religio Rev. habet propria, illa ex relatione hominis ad Deum, qua peccatoris, fluunt, sicque Religioni Nat. qua tali nihil additur.

§. 7. Sic itaque consequitur, quod nihil in vera Religione admittatur, quod non ipsa rerum, i. e. Dei & hominum, natura nitatur; modo statui hominis sit accommodatum.

§. 8. Omnis Religio, tam Nat. quam Rev. ad hominis salutem tendere debet. Propterea quidquid eo non tendit, aut ei fini contrariatur, ad Religionem veram non pertinet.

§. 9. Plurima etiam mala in Religione ex eo orta sunt, imprimis superstitio ac tyrannis spiritualis, quod homines ab iis, quæ recta ratio nobis de Deo dictat, aberraverunt. Revelata enim Rel. Naturalem nec tollit, nec mutat; sed peccatis simul & reatui suppeditat remedium, quod Naturalis facere non potest.

§. 10. Dissentiunt a nobis *Naturalistæ* in consequentiis, quas ex his veritatibus deducunt. I. nullam Rel. pro vera admittunt, præter Naturalem, quam & propterea homini absolute, & qualis nunc est, sufficere ad salutem contendunt.

§. 11.

§. 11. Ex hoc capite II. omnem Revelationem, & sic Religionem Revel. speciatim Christianam, rejiciunt, quatenus nimirum illa non solo Lumine Nat. sed peculiari Dei Revelatione nititur; utpote quam pro necessaria non habent.

§. 12. Negant III. Auctoritatem & Divinam inspirationem S. Scripturæ V. & N. T. quoniam opinantur, eam talia continere dogmata, quæ nec ex ratione deduci, nec cum ea conciliari queunt. Si qui vero non omnem penitus S. Litterarum reverentiam animo exuerunt, nihil aliud iis contineri statuunt, nisi Religionem Nat. puriorem, aut perfectiorem, quam in aliis hominum scriptis.

§. 13. Negant IV. in Religione admittenda esse mysteria, qualis est doctrina de SS. Trinitate, de Incarnatione Verbi, de Redemtionis negotio, & Reconciliatione peccatoris cum Deo.

§. 14. Quia Revelationis & Revelatæ Rel. veritas miraculis & prophetiis comprobatur: hinc V. Naturalistæ & miracula facta & prophetias veras unquam editas fuisse negant. Nam miracula, aut pro fictis narrationibus, aut pro imposturis, aut pro effectis naturalibus: prophetias autem pro ambiguis, obscuris & nunquam impletis sermonibus hominum fanaticorum aut impostorum habent. §. 15.

§. 15. Refutatio horum errorum repetenda ex superioribus, aut potius, tanquam jam facta, heic omittenda. Consideremus ergo *Objectiones Naturalistarum.* Primum impugnant Necessitatem Revelationis hoc argumento. *Religio Nat. est perfecta*, ita ut ei nihil nec addi nec demi possit. Ergo non opus est, ut Revelatio addatur. ℞. Antea dictum, quo sensu ea perfecta sit, nempe quod omnia continet, quæ ex hominis ad Deum, ceu creaturæ ad creatorem, relatione fluunt. Sed Revelatio repræsentat Deum non tantum, ut Creatorem, sed etiam, ut Salvatorem. Hinc nascuntur nova quædam officia, & motiva, Nat. Religioni ignota, quæ non adduntur Naturali Religioni; sed aliam ab ea Religionem statuunt, non tamen contrariam. Est autem hoc sensu perfectior, quod Peccatoris statui est accommodata, eique ex miseria peccati emergendi rationem demonstrat.

§. 16. Ergo Religio Revelata Naturalem nullius imperfectionis arguit, multo minus statuit eam Sapientia Dei indignam, aut inutilem esse. Perfectam esse monstrat in suo genere, & in eo statu, quo homo non aliter, quam Creatura Dei considerari potest.

§. 17. Neque negamus, officia & dogmata Religionis Nat. esse in se certissima & clarissima.

clarissima. Sed experientia docet illa fuisse per hominum corruptionem & obscurata & in dubium vocata. Unde & Revelatio Nat. Religionem confirmavit, eique novam accendit lucem.

§. 18. Porro per Revelationem Religio Nat. non est mutata, sed eadem manet; ut per cons. Revelatio non statuat aliquam in Dei Legibus mutationem; quæ ipsius Sapientia indigna esset. Mutatio non facta in Dei Legibus, sed in hominis statu. Quare beneficium Dei est, quod Revelationem naturali lumini addere voluit.

§. 19. Et quamvis Nat. & Revel. Religio eundem habeant scopum; tamen dici non potest, eas tantum differre modo, quo homini innotescunt. Nam, ut dictum, nova Conditio, in quam homo culpa sua incidit, dum factus est peccator, nova officia postulat, & novum salutis medium requirit.

§. 20. *Obj.* II. Si Revelata Religio necessaria fuisset, Deus & statim *ab initio Mundi*, & *omnibus Gentibus* eam dedisset. ℞. 1°. Historia S. docet, *Adamo*, primo homini, & *Noæ*, generis humani restauratori, datam fuisse. Inde potuisset & debuisset ad omnes Gentes derivari, nisi posteri sua negligentia eam corrupissent. 2°. Quod Deus apud quosdam eam Revelationem sæpius repetere, ac tandem scripto consignare voluit, est

ejus singularis ac libera Benignitas, quam nulli debet, sed pro beneplacito dispensat. 3°. Gentes Revelatione destitutæ non ex Revelatione, sed ex Nat. Lege judicabuntur; Rom. 11. 12. Nec imputabitur illis, quod caruerunt Revelatione, sed quod Lumini Nat. non paruerunt. 4°. Homines omni fere tempore habebant occasionem, cognoscendi Religionem Rev. quod ergo non cognoverunt, ipsorum sæpissime culpa est.

§. 21. *Obj.* III. *Scripturam S. esse obscuram.* ℞. 1°. Mirum non esse, in Libro tantæ antiquitatis, Linguis demortuis scripto, quædam δυσνόητα, *intellectu difficilia*, esse. Contendimus interim, ea, quæ ad essentiam Religionis pertinent, ac ad salutem sunt necessaria, esse perspicua. Neque tamen propterea credendum, quædam esse superflua. Nam quæ nunc usum in Ecclesia habere non videntur, illa alio tempore aut habuerunt, aut habebunt. 2°. Difficultates ubique reperiuntur. Non desunt in aliis scientiis, ne in ipsa quidem Religione Naturali. Num ergo etiam has rejiciemus?

§. 22. Instant. Tot Theologorum dissensiones, tot diversas Sectas, esse indicium insuperabilium difficultatum in Religione Rev. ℞. 1°. Dissensiones multas esse circa res non essentiales. 2°. Oriri ex affectibus

ctibus animi, imbecillitate ingenii &c. 3°. Idem in aliis disciplinis fieri; nec tamen pro sano habetur, qui propter id, quod non intelligit, ea rejicit, quæ intelligit.

§. 23. *Obj.* IV. Si Revelatio necessaria fuerit olim propter Luminis nat. oppressionem & obscurationem, quam depravatio hominum introduxit; ejus renovationem nunc necessariam esse, quoniam dissensus & incredulitas tantopere invaluit, ut jam non Nat. tantum, sed & Rev. Religio sit velut oppressa. ℞. Verbis Christi, Luc. XVI. 29. *Habent Mosen & Prophetas &c.* Habemus Christum & Apostolos. Qui his non credunt, non credent etiam, si quis ex mortuis resurgat, & novam adferat revelationem. Itaque nova Revelatio non est necessaria, primum quia sufficit vetus; dein quia nova majorem vim non haberet.

§. 24. *Obj.* V. adversus Revelationem V. T. desumitur ex *cultu Ceremoniali*, quem dicunt Sapientiæ divinæ non convenire, quippe qui tantum in externis rebus consistat. Ad hanc Responsio ex iis peti potest, quæ Cap. præc. § 74. posita fuerunt, quæ brevitatis ergo non repetemus.

§. 25. *Obj.* VI. petunt ex variis locis V. T. ubi malefacta laudari, aut etiam quædam contra jus Nat. præcipi videntur. Imprimis argumentantur ex eo, quod Deus Israëlitis

mandavit, ut *gentes Chananæas* exscinderent. Item quod *Sacrificia humana* mandaverit, ac probaverit. ℟. 1°. Quod attinet ad *victimas humanas*, negatur Deum illas aut mandasse aut probasse. Vid. præter alia loca Deut. XII. 31. Ps. CVI. 37. 38. unde contrarium patet. 2°. Exemplum ex mandato Dei ad *Abrahamum* peti non potest, de quo Gen. XXII. quia hoc mandatum tentatorium fuit, ut fides & obedientia exploraretur. Neque ex Levit. XXVII. 29. Ubi non agitur de *Sacrificio*; sed de *Anathemate*, i. e. de eo, quod jussu Dei ad necem devotum est. Neque tandem ex voto *Jephtæ*, qui filiam non immolavit, sed perpetuæ virginitati & cultui Dei addixit; Judic. XI. 30. Ita *Samuel* Deo consecratus 1 Sam. I. 11. legitur.

§. 26. Quod attinet exstirpationem gentium Chanan. dubitari non potest, quin Deus jure illam Israëlitis præcipere potuerit, 1°. ob jus supremum. 2°. ob ipsorum abominabilia scelera. 3°. ob promissum Israëlitarum majoribus factum. Deut. XX. 16. 17. Additur alia ratio ℣. 18. ne scil. Israëlitas seducere queant. Ceteris objectionibus satisfacere haud est difficile.



CAP. XXIII.

DE SCRIPTURA SACRA.

§. 1. REvelatio divina, de cujus necessitate & divinitate hactenus actum est, continetur in *Scriptura Sacra*, de qua nunc nobis accuratius agendum. Ejus considerandà est I. *Necessitas.* II. *Divinitas* & *Θεοπνευςία.* III. *Canon* & *Integritas.* IV. *Perfectio.* V. *Usus.*

§. 2. Est autem *Scriptura Sacra* Collectio Librorum a Mose, Prophetis, Evangelistis & Apostolis scriptorum. Vocatur etiam *Biblia*, *βιβλία*, *καῖ ἐξοχὴν*, quod antiquo & communi usu est receptum. Item *γραφὴ*, Rom. IV. 3. *αἱ γραφαὶ*, Joh. V. 39. *αἱ γραφαὶ ἁγίαι*, Rom. I. 2. *τὰ ἱερὰ γράμματα*, 2 Tim. III. 15. Hebr. המקרא *Lectio*, aut quod legendum est.

§. 3. Ut ergo I. de *Necessitate Scripturæ S.* agamus, supponimus heic, tanquam antea jam probatam, necessitatem Revelationis divinæ. Quæritur ergo, an fuerit necesse, ut ista divina Revelatio litteris mandaretur? id quod affirmamus. Qui negant, objiciunt: Quod Ecclesia in mundo fuerit ante *Mosen* Sæculis XXV. quibus nihil exstabat

 bat

bat Scriptum; sed divina veritas *traditione* conservabatur.

§. 4. ℞. Facile intelligitur, cur illis temporibus non ita fuerit necessaria Scriptura. Homines longævi erant, ac plurimas posterorum generationes videbant. *Adamum* diu audire potuit *Methusalah*, *Methusalam Noah*, *Noam Semus*, *Semum Abrahamus* & *Isaacus*, hunc *Jacobus*, huncque pater *Mosis*. Itaque traditio his temporibus facile conservabatur. Id vero multiplicatis familiis aliter se habet. Porro; Experientia docuit, quam facile, & quam cito corrupta sit Revelationis traditio, ut ipsi jam *Abrami* Majores idololatræ essent. Jos. XXIV. 2.

§. 5. Hinc patet, quam sit vanum argumentum *Bellarmini* & aliorum *Pontificiorum*, qui ex temporibus ante-Mosaicis colligunt, etiam nunc Ecclesiam Scriptura S. carere posse, ita ut sola contenta sit *Traditione*. Quam incerta autem sit traditio, postea dicemus. Nunc sufficit indicasse discrimen illa inter & hæc tempora.

§. 6. *Divinitas* & Θεοπνευστία S. Scripturæ est illud ejus attributum, quo existimamus, eam a Deo auctore esse, adeo ut hac de caussa merito appelletur *Verbum Dei*. Neque id tantum eo modo intelligimus, quo

quo boni omnis auctor est Deus: sed modo quodam singulari & extraordinario.

§. 7. In hoc ergo Attributo continetur 1°. *Mandatum* Dei, quo impulsi sunt Prophetæ & Apostoli ad scribendum, quod scripserunt, quod vel expressis signis vel interno motu, s. *Instinctu* continetur. 2°. *Inspiratio* eorum, quæ scribere debebant.

§. 8. Primum probatur partim testimonio generali *Petri* 2 Ep. I. 21. partim expressis mandatis Exod. XVII. 14. Esaj. VIII. 1. Jer. XXX. 2. Apoc. I. 11. quæ loca licet de partibus tantum agant, non dubiam tamen nobis conclusionem ad universa præbent, quæ proprio certe motu haud sunt scripta.

§. 9. *Inspiratio* non uno modo est concipienda. 1) Notat Revelationem eorum, quæ erant scribenda. 2) Directionem in scribendo, & præservationem ab omni errore. Eadem seorsim consideratur respectu rerum, & respectu verborum.

§. 10. Scripturam S. divinitus inspiratam esse probatur 1°. *Testimonio* & asseveratione ipsorum Auctorum. Matth. X. 20. Luc. XII. 11. 12. XXI. 14. 15. Joh. XIV. 16. 17. XVI. 13. 1 Cor. II. 13. 2 Cor. XI. 6. 2 Tim. III. 16. 2 Petr. I. 21. Hoc autem testimonium esse fide dignum patet 1) ex qualitate testium, qui fuerunt viri probi & sancti.

ſancti. 2) ex qualitate rei, quod inſpiratio talis nec impoſſibilis nec Deo indigna eſt. 3) ex circumſtantiis, quæ indicant, Apoſtolos in eo nec falli potuiſſe, nec fallere voluiſſe. 4) ex neceſſitate, quoniam ſine inſpiratione talia ſcribere non potuiſſent illi homines.

§. 11. Ut iſtud tanto clarius pateat, conſiderandum, non uni tantum Viro inſpirationem; ſed pluribus; non uno tantum, ſed pluribus modis obtigiſſe; homines non fuiſſe credulos, non ſtolidos, aut inſanos. Tales autem in re tanti momenti; ſine dubio omnem attentionem adhibuerunt, ne fallerentur.

§. 12. Eos autem fallere non voluiſſe patet inde, quod nullum ex tali fraude commodum potuerunt ſperare; ſed potius prævidebant, & experiebantur contraria omnia. Nihiloſecius in adſeveratione ſua conſtantes erant, nullisque minis quisquam eorum inde eſt dejectus.

§. 13. S. Scripturæ inſpiratio probatur 2o. *Miraculis*, quibus Apoſtoli demonſtrarunt, ſe a Deo eſſe miſſos. De his antea actum. 3o. Quia S. Scriptura habet eosdem divinæ originis *characteres*, quos habet ipſa vera Revelatio, de quibus & jam ſupra eſt actum. 4o. Inſpirationi V. T. teſtimonium exhibent Chriſtus & Apoſtoli. Inſpiratio

autem

autem N. T. ex convenientia cum V. T. confirmatur.

§. 14. Ad S. Scripturæ divinitatem probandam allegari solet quoque *Testimonium Spiritus S.*, quo intelligitur operatio aliqua interna, per quam Deus hominem de ea re certiorem facit. Hoc adeo *Testimonium Spiritus S.* aptum est ad hominem illum convincendum, qui id in se deprehendit. Ita multi sunt pii & vere fideles, qui de Scripturæ S. divinitate firmissime sunt persuasi; nec tamen argumenta ejus omnia distincte percipiunt. Sed ad alios, qui id in se non deprehendunt, convincendos allegari nequit.

§. 15. *Pontificii* statuunt, de Scripturæ S. divinitate nobis constare per *Testimonium Ecclesiæ.* Sed ut taceam circulum vitiosum; qui sic committitur, dum quænam sit vera Ecclesia & quantum auctoritatis illi sit tribuendum, non aliunde constare possit, quam ex Scriptura S., quæritur, unde cognoscat Ecclesia ipsa, Scripturam esse Verbum Dei? Cum id non aliunde hauriat nisi ex ipsa Scriptura, patet ejus *Testimonium* nullum esse, nisi *historicum*, quo indicat; quinam Libri a Prophetis & Apostolis profecti sint. Vid. *Werenf. Diss. de tripl. Teste*; Opp. T. I.

§. 16. Nunc considerare debemus *Canonem & Integritatem S. S.* Per *Canonem* intelligimus

ligimus *Seriem* ac *recensionem* eorum Librorum, qui a Deo inspirati, & ab Ecclesia pro talibus habiti sunt. Nam *Canon* græcis præter alia seriem ac recensionem significat. Per *Integritatem* intelligimus id S. Sacræ attributum, per quod nihil nec ad Canonem, nec ad singulos Libros requisitum deest.

§. 17. S. Scriptura dividitur in Vetus & Novum Testamentum, quæ appellatio petita est ex Hebr. VIII. 13. IX. 15. conf. 2 Cor. III. 6. 14. V. Testamentum continet Libros, quos Deus Ecclesiæ ante Chr. Nat. concessit; N. Testamentum, quos postea. Libri V. T. aliter ab Hebræis, aliter a Græcis & Latinis dividuntur. Hebræi *Legem*, *Prophetas* & ἁγιόγραφα habent seu תורה, נביים, כתובים. Ceteri, quos & recentiores imitantur, *Pentateuchum*, *Libros Historicos, dogmaticos, & propheticos.* N. Test. similiter in *Hist. dogmat.* & unum *prophet.* dividitur.

§. 18. Porro de Libris N. Test. speciatim est notandum; illos haudquaquam ordine temporis in codicibus nostris collocari. Non est quidem facile, tempora certo indicare, quibus singuli Libri N. T. scripti fuerunt. Interim probabili ratione constat, primam omnium scriptam fuisse Epist. I. ad Thess., quam statim secuta est Epist. II. Dein Epistolæ II. ad Corinth. Epist. ad

Rom.

Rom. & Galat. Ep. Jacobi; 1. Petri, Evang. Matth. Ep. ad Philipp. ad Ephes. ad Coloss. ad Philem. Ep. ad Hebr. Evang. Marci; Evang. Lucæ, Acta Apost. Ep. ad Tit. 1 Tim. 2 Tim. 2 Petr. Ep. Judæ; 1 Joh. & 2. & 3. Apoc. & tandem Evang. Johannis.

§. 19. Positi autem sunt hi Libri, eo ordine, quem habemus, propter convenientiam, ut primo loco legerentur illi, qui Historiam Chr. & fundationem Ecclesiæ Chr. continent. Nam his reliqua nituntur. In Epistolis autem Pauli collocandis spectata fuit dignitas Ecclesiarum. Epist. ad Hebr. ultimo loco posita, quia dubitatum aliquandiu fuit de ejus auctoritate.

§. 20. *Canon V. T.* constitutus est a Viris *Synagogæ magnæ*, cujus præses *Esdras*, Assessores inter alios tres ultimi Prophetæ, item *Zorobabel*, fuisse dicuntur. Ita Judæi unanimi consensu antiquitus tradiderunt. Neque aliter senserunt primi Ecclesiæ Christ. Doctores. Sunt equidem, qui horum testimonia eo conferunt, quod crediderint Patres, *Esdram* Libros S. V. T. in Capt. Babyl. deperditos, divina inspiratione restituisse, & de novo conscripsisse.

§. 21. Hausta ea sententia fuit ex IV. Libr. *Esdræ* XIV. ubi talis est narratio. Sed cum ille Liber ab omnibus pro supposito ac

Apocrypho

Apocrypho habeatur., neque etiam aliter, quam Latine exſtet, cum S. Libri hebraice ſcripti ſint, merito exploditur tam hæc, quam reliquæ fabellæ, quæ in eo traduntur. Unde mirum eſt, quod *Spinoſa* & *Hobbeſius*, aliique, talia, tanquam vera arripere auſi fuerint, ut ſcilicet Scripturæ S. auctoritatem convellerent.

§. 22. Quod autem ad Patres attinet, illorum dicta aut rectiore interpretatione vindicantur ab illa inepta opinione, aut tantæ non ſunt auctoritatis, ut nobis talia perſuadere debeant, cum quidem non omnes fuerint præditi judicio critico. Vid. *Buddei* H. E. V. T. T. II. p. 828.

§. 23. Quamvis autem traditio Judæorum de Viris *Synagogæ M.* non omnibus eruditis ſatis placeat; tamen id negari non poteſt, neque ab ullo orthodoxo negatur, quod *Eſdras* & Prophetæ ultimi Canonem recenſuerint, ac conſtituerint. Non tamen hoc ita intelligimus, quaſi ordo, & diſtributio, itemque diſtinctiones Librorum & partium V. T. ab *Eſdra* ſint. Hæc enim recentiora eſſe multis argumentis probatur.

§. 24. Quinam contineantur Libri in Canone V. T. inter Proteſtantes conſtat. Pontificii addunt quoſdam alios, quos nos *Apocryphos* appellamus. Probamus autem Canonis noſtri integritatem teſtimonio an-

tiquæ Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ. Hujus autem in hac re debet esse sufficiens auctoritas, propterea, quod agitur de facto, quod per traditionem unice probari potest ac debet, cujus etiam antiqua Ecclesia certam cognitionem habuit.

§. 25. Ecclesiam Judaicam Paulus Apostolus laudat, tanquam eam, cui concredita fuerit custodia Librorum S. V. T. Rom. III. 2. contraque eum locum nihil solidi excipi potest; adeoque clarissime sequitur, omnes illos Libros in Canonem V. T. recipiendos, quos Judaica Ecclesia recepit, nec ullos præterea admittendos.


§. 26. Quales autem Libros canonicos habuerit Ecclesia Judaica, discimus ex *Josepho* L. I. contr. Ap. p. 1036. edit. Colon. ubi memorat XXII. Libros, ex quibus V. Mosis, XIII. Prophetarum, V. qui Hymnos ac vitæ præcepta continent, Psalmos intelligens, Salomonis Scripta & Jobum. Sic ergo computabat Libros S. *Josephus*. V. Libri Mosis, s. *Pentateuchus*, *Josua*, *Judices*, quibus addit *Ruth*, *Samuel*, *Reges*, *Chronica*, *Jesajas*, *Jeremias*, cui addit *Threnos*, *Ezechiel*, *Daniel*, XII. *Prophetæ minores*, *Ecclesiastes*, *Esther*, *Esdras* cum *Nehemia*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Jobus*, & *Canticum Canticorum*. Hæc recensio convenit, cum ea, qua hodierni utuntur Judæi, nisi quod isti XXIV. numerant,

rant, eo quod *Ruth* ac *Threnos* seorsim accipiunt.

§. 27. Ex N. T. discimus idem, dum alii nulli in eo citantur præter eos, qui in Canone illo sunt. Nec profecto, quum Christus universam Scripturam dividit Luc. XXIV. 44. in *Mosen*, *Prophetas*, & *Psalmos*, potuit alios intelligere, quum hæc divisio eadem sit cum ea, quam modo ex *Josepho* attulimus. Eosdem enim Libros, quos heic recenset Christus, nominat τὰς γραφὰς, Joh. v. 39.

§. 28. De Christ. Ecclesia judicandum tam ex recensionibus Patrum ac Conciliorum, quam ex eorum citationibus. Sic videmus, *Melitonem*, Sardiensem Episcopum, qui vixit Sæc. II. æqualis *Polycarpi* Martyris; post diligentem inquisitionem, nullos alios invenisse Libros Canonicos. Vid. *Euseb.* H. E. L. IV. c. 26. *Origenes* similiter Libros S. V. T. recenset apud eundem, Lib. VI. c. 25. Is autem vixit Sæc. III. Sic *Eusebius* Cæsariensis, *Athanasius*, *Cyrillus* Hierosol. qui vixit Sæc. IV. ut alios sequent. Sæc. taceamus. Vid. *Rivet.* Isag. in Scr. S. cap. VII. §. 23. &c.

§. 29. Hinc ergo jam patet, quid de aliis Libris sit sentiendum, quos *Apocryphos* appellamus, & quos Rom. Ecclesia in Canonem recepit. Talis est Liber *Judith*, *Sapientiæ*,



pientiæ; *Tobiæ*, *Siracidis*, f. *Ecclesiastici*, *Baruchi*, 1 & 2 *Maccab.* (nam 3 Maccab. item 3 & 4 Esdr. nemo admittit, præter Fanaticos quosdam) item quædam *fragmenta.*

§. 30. *Apocryphi* a nobis, exemplo veteris Eccl. Christianæ dicuntur ab ἀποκρύπτειν, *occultare*, quoniam, ut ait *Augustinus* L. 2. contra Faustum, *eorum origo non ita inclaruit, ut in sublimi illo Canonicæ auctoritatis fastigio collocari meruissent.* Unde in antiqua Ecclesia græca *privatim saltem*, *non publice prælectos esse* fatetur *Cyrillus* Hierosol. in Catech.

§. 31. Specialia argumenta, quibus non θεόπνευστοι esse probantur, ex Libris ipsis collegerunt multi, quæ non adferemus. Occurrit heic quæstio; an *Apocryphi* V. T. unquam, & quo tempore recepti sint a Chr. Ecclesia? ℞. Certum est, totis IV. prioribus Sæc. id a nemine factum esse, quod partim ex antedictis patet, quandoquidem Patres citati aut omittunt Apocryphos, aut expressis verbis rejiciunt: partim ex *Synodi Laodic.* Canone ultimo, ubi recensetur, quinam Libri pro Canonicis sint habendi, omissis Apocryphis. Immo etiam Sæc. V. *Hieronymus* in *Prologo Galeato* (dummodo genuinus sit) diserte rejicit, tanquam non Canonicos, licet utiles, Librum *Sap. Sirac. Judith, Tob. Maccab.*

§. 33.

§. 32. De tempore autem quo recepti ſunt, nihil diſtinctius tradi poteſt. Saltem hoc conſtat, jam Sæc. II. quosdam ex Apocryphis adjunctos Codici S. alios III. & IV. demum fuiſſe; quod quidem inde factum eſt, quia illi aut græce ſcripti a Judæis, aut ex hebr. mature translati, ac τοῖς LXX. adjuncti ſint. Chriſtiani orientales græcis Bibliis utebantur; Latinæ Verſiones primæ ex græca fiebant, unde in utraque Eccleſia tandem recepti ſunt. Sed tamen longe minoris quam ceteri auctoritatis habiti, donec lapſu temporis primo per incuriam; dein pudore, id quod antea receptum erat, mutandi, Canonicis æquarentur.

§. 33. Porro Integritas Canonis facit, ut omnino negemus, *ullum Librum*, Eccleſiæ a Deo ad ipſius inſtructionem datum, *periiſſe.* Memorantur equidem hinc inde in S. Bibliis ſcripta quædam, quæ non exſtant; ſed de quibus in genere dicimus, illa ad Canonem minime pertinuiſſe.

§. 34. In ſpecie vero obſervamus, quosdam illorum Librorum, quales fuerint, diſtincte & probabiliter indicari poſſe. Sic Num. XXI. 14. de *Libro Bellorum Jehovæ*, Joſ. X. 13. de *Libro Recti*, 2 Sam. I. 18. de *Libro Juſti*, 1 Reg. XIV. 19 de *Libro Chronic. Regg. Judæ & Iſraëlis &c.* exiſtimamus, iſtos fuiſſe Libros hiſtoricos, qui adeo ad Canonis integritatem non fuerint neceſſarii.

§. 35.



§. 35. Porro nonnulli Libri, qui putantur periisse, adhuc exstant sub aliis nominibus, ut *Libri Nathanis & Gadis*, de quibus 1 Chron. xxix. 29. &c. quos partem Librorum Samuelis & Regum facere & Judæi docent, & Patres quidam notant, & Pontificiorum nonnulli fatentur. Nisi forte ut illi, qui sæpe nomine *Chronicorum Reg. Juda & Israëlis* citantur, pro illis Prophetarum Commentariis uberioribus sint habendi, quorum compendium in Libris Regg. & Chron. qui exstant, inveniatur. *Liber Jehovæ*, de quo Esaj. xxxiv. 16. secundum aliquos est ipsa Prophetia Esajæ, secundum alios ceteri Libri Sacri V. T. ad quos, tum jam exstantes, remittit Propheta. Liber *Lamentationum Jeremiæ* super morte Regis Josiæ, cujus mentio fit 2 Chronic. xxxv. 25. in *Threnis* legitur.

§. 36. Objiciunt quidam ex N. T. periisse Epistolam *ad Laodicenos*, ex Coloss. iv. 16. Sed non ibi dicitur ἡ πρὸς Λαοδικέας, sed ἡ ἐκ Λαοδικείας, *Epistola Laodiceâ data* vel *allata*. Poterat esse Epistola a Laodicensibus ad Paulum scripta. Veterum quidam crediderunt, 1 ad Timoth. a Paulo Laodiceâ scriptam, alii Epistolam ad Ephesios. Sed istud verum esse non potest, propterea, quod ex Col. ii. 1. patet, Paulum antea *Laodiceæ* non fuisse, quam ad Colossenses scriberet.

§. 37. Judæ ℣. 14. refertur *Prophetia Enochi.* Hinc collegerunt quidam exſtitiſſe Librum ab *Enocho* ſcriptum, ex quo Apoſtolus hanc Prophetiam excerpſerit. Sed minime ſolida eſt iſta concluſio. Nam potuit Apoſtolus hanc Prophetiam ex traditione habere, quod magis credibile, quam ex immediata Revelatione, ut quidam putant. Porro non fit mentio *Libri*, ſed Prophetiæ *Enochi*, nec dicitur ſcripſiſſe, ſed *prophetaſſe.* Tandem librum talem genuinum unquam exſtitiſſe probari non poteſt. Qui *Auguſtini* temporibus circumferebatur *Enochi* nomine, manifeſto eſt ſpurius, ut pronuntiat *Hieronymus*; quamvis *Tertullianus* illum pro genuino habuerit. Vid. *Fabr.* Pſeudepigr. V. T.

§. 38. Fuerunt olim, & partim hodie exſtant varii libri, ſub nominibus Patriarcharum circumlati, aliorumque Prophetarum, item Apoſtolorum, qui ab hæreticis, aut aliis conficti ſunt, & ab Eccleſia merito rejecti; quamvis nonnulli veterum patrum illis decepti fuerint.

§. 39. Sic *Adamo* attributus olim eſt Commentarius de nominibus animalium, qui tamen nunquam exſtitit, ex Gen. II. 19. item Liber Generationum Adami. Porro *Gnoſtici* Apocalypſes Adami jactabant. Circumferebatur etiam Adami vita & pœnitentia,

tentia, Psalmi; multi libri ab hæreticis attributi *Setho*, ab Judæis Cabbalistis *Abrahamo*, & sic aliis; qui libri omnino spurii fuerunt. Eæque suppositiones factæ ex studio, dogmata sua Patriarcharum auctoritate probandi. Eodem fine & Apostolis multa sunt supposita, quæ ab Ecclesia Orthodoxa jam olim fuerunt repudiata.

§. 40. *Canon N. T.* non minus integer est, quam Canon V. T. Id quod nobis constat testimonio cum singulorum Patrum Ecclesiæ Chr. tum Conciliorum. Et quidem apertum est, singulos eorum Librorum ab ipso, quo exarati erant, tempore, ab illis, ad quos proxime ea cognitio pertinebat, pro Libris S. ac Canonicis habitos, eademque cum Libris V. T. religione receptos fuisse. Docet hoc S. Petrus 2 Ep. III. 16. dum *Epistolas Paulinas* eodem nomine, quo Mosis & Prophetarum libri veniebant, appellat γραφὰς, *Scripturas S.* & reliquis γραφαῖς, *Scripturis S.* scilicet V. T. confert.

§. 41. Idem de *Evangeliis* constat, dum & ipsi tres priores Evangelistæ alter alterius testimonium confirmant, & *Matthæus* apostolica auctoritate, *Marcus* & *Lucas* eo, quod sua ex ore Apostolorum, ille quidem *Petri*, hic *Pauli*, hauserunt; & tandem S. *Johannes* Apostolus, cum illi oblata essent ea tria Evangelia, non modo vera esse declaravit,

 sed

ſed & Evangelium ſuum adjecit, ad ſupplendum iſtorum qualemcunque defectum, quo plenior eſſet Hiſtoria Evangelica. Diſcimus hæc ex *Tertulliano* L. IV. adv. Marcion. Cap. 5. & *Euſeb.* H. E. L. III. c. 24.

§. 42. Deinde vero concedimus quidem, collectionem aliquam omnium librorum N. T. factam non fuiſſe ullo Apoſtolorum ſuperſtite. Nam apud ipſas Eccleſias Apoſtolicas de quibusdam Epiſtolis adhuc ſæculis proximis dubitatum fuit, & præter IV. Evangelia, etiam alia in Eccleſia lectitabantur. Sed tamen illud tanquam hiſtorice certum habemus, quod non multo poſt exceſſum Apoſtolorum Canon N. T. fuerit conſtitutus. Id enim ipſa neceſſitas poſtulabat, quoniam Libri divini hinc inde ſparſi, ingruente imprimis nova quotidie & atrociore perſecutione absque miraculo conſervari non potuiſſent. Itaque Eccleſiæ Chriſtianæ communiter operam dederunt, ut, quæ tum facile dignoſcebantur, vera & genuina Apoſtolorum ſcripta, in unum colligerentur.

§. 43. Initium in *Evangeliis* fecerunt, quæ jam circa finem Sæculi I. in Canonem collecta probat *Millius* Proleg. N. T. 193. Factum id ab Epiſcopis Aſianis credibile eſt; 1°. quia in Aſia omnia IV. Evangelia fuerunt ſcripta. 2°. quia ipſe *Johannes*, qui in

in Ephesina Ecclesia vivebat, illis viam præivit. Hinc ea IV. Evangelia ipsi Apostolorum discipuli & primi successores, Ecclesiis passim a se fundatis tradebant: teste *Eusebio* H. E. L. III. c. 37. Et quidem hanc *Scripturam*, una cum Scriptis Prophetarum, in S. Conventibus etiam suo tempore lectam fuisse tradit *Justinus* M. Apol. 2.

§. 44. Brevi post, & quidem, ut idem V. D. putat, circa a. CX. a Chr. nato, *Acta & Epistolæ Apostolorum* in unum Corpus compactæ fuerunt. Censet autem ab Ecclesia Romana factam esse hanc Collectionem: 1) quod Epistola ad Rom. primo loco posita. 2) quod primus ille Canon tantum complectitur 13. Epistolas Pauli, unam Petri & unam Johannis: unde credibile sit, illam Ecclesiam eas collegisse, in qua tres isti Apostoli præ ceteris in honore habiti fuerunt. Sed istas rationes infirmiores esse nemo non videt. Credibilius est, in Synodo quadam Ecclesiarum complurium id factum fuisse, quamvis de ea nihil nobis tradant Veteres.

§. 45. Certe constat, *Polycarpum*, qui Episcopus Smyrnensis, & sub *Antonino* Imp. Martyr fuit, Epistolas 13. Pauli, & 1. Petri atque itidem 1. Johannis, in sua Epistola allegasse. Et *Eusebius* H. E. l. III. c. 25. easdem etiam cum Evangeliis & Actis inter

Scripta N. T. ὁμολογούμενα f. omnium confessione recepta, ponit, ceu ea, de quibus nulla Ecclesia dubitaret.

§. 46. Ita vero res gesta videtur, ut Ecclesiæ, in quibus Apostolorum authenticæ Litteræ servabantur, eas conferrent, ac undique collectas, vel ex manu Apostolicorum Scribarum, vel ex ipsa Apostolica subscriptione & salutatione, vel ex ipso denique argumento epistolarum, aliisve characteribus, pro Apostolicis scriptis agnoscerent, & in unum fasciculum colligerent, id quod illo ævo facillime fieri poterat.

§. 47. Tempus istius collectionis factæ discimus ex iis, quæ de *Marcione* hæretico referunt Veteres. Hic enim composuit libros, quos iisdem titulis insignivit, quibus Orthodoxi suos. Nempe sicut Ecclesia habuit Εὐαγγέλιον, & ἀποστολικὸν, id est Evangeliorum & Epistolarum Canonem; sic iste duos tales Libros itidem composuit. Priorem ex Evangelio Lucæ potissimum; posteriorem ex Pauli Epistolis desumsit, omissis iis, quæ hæresi ipsius adversari viderentur. Jam vero *Marcion* exortus est, atque docere cœpit, circa a. C. 127. Unde colligitur, ante illud tempus jam Canonem N. T. fuisse constitutum.

§. 48. Immo vero ante a. C. 114. Canonem jam exstitisse ex *Ignatio* colligitur, qui in

in Epist. ad Philadelph. & ad Smyrn. facit τοῦ ἐυαγγελίου ϗ τοῦ ἀποστολικοῦ, *Evangelii & Scriptorum Apostolicorum*, tanquam Codicum in ecclesia auctoritatem eandem cum Mose & Prophetis obtinentium, mentionem. *Ignatius* autem sub *Trajano* martyr fuit.

§. 49. Confecto isto Canone, illæ ecclesiæ, apud quas ceteræ Apostolorum epistolæ inveniebantur, eas addiderunt suis exemplis, idque secutæ videntur vicinæ ecclesiæ. Remotiores autem de iis aliquandiu dubitarunt, donec tandem, ἀυθεντεία cognita, eas quoque receperunt. Talis fuit epistola ad *Hebr. Jacobi*, *Judæ*, 2 *Petri*, 2 & 3 *Joh.* itemque *Apocalypsis*. Ceterum dubitatio ista non minuit fidem horum Scriptorum, verum potius auget; quandoquidem nos certos facit, non sine examine recepta ea fuisse.

§. 50. Quod attinet epistolam *Jacobi*, aliquandiu dubia fuit, ut testatur *Eusebius* H. E. l. III. c. 25. cujus rei caussa fortasse fuit, quod in doctrina de Justificatione videbatur cum Paulo ad Rom. pugnare. Primus, qui eam cum aliis explanavit, fuit *Clemens Alex.* in Libr. Hypotyposeon. Sed id continuo non probat, Canonicam ab eo creditam fuisse. Nam explanat ibidem epist. *Barnabæ* & *Apocal. Petri* apocryphas. Sed allegat eam *Origenes*; *Cyrillus Hierosol.* *Eusebius* Cæsariensis qui & testatur, suo tempore

 pore

pore in plurimis jam ecclesiis receptam fuisse. Sæc. v. neminem amplius invenimus, qui dubitaret. *Lutherus* ex præcipitantia quadam judicii, ob caussam, propter quam Veteres quidam dubitasse videntur, rejecit.

§. 51. Epistolam *Judæ* itidem allegavit *Clemens Alex. Tertullianus*, *Origenes*; Hinc Sæc. iv. & v. ubique recepta. *Secunda Petri* per epist. *Judæ* confirmatur, ex qua nonnulla fere ad verbum desumit. Ceterum Sæc. i. & ii. a nemine citatur. Dein Sæc. iii. paullatim citata est, Sæc. v. ineunte nemo amplius dubitavit.

§. 52. *Ep. ad Hebræos* videtur testimonium accipere ex 2 Petri iii. 15. Mentio Timothei c. xiii. 23. *Paulum* auctorem arguit. *Tertullianus* tamen, de Pudic. c. xx. *Barnabæ* adscripsit. Alii etiam veterum negarunt esse Pauli. *Origenes* Pauli esse contendit, quoad sensum, sed non quoad stylum, qui elegantior esse videatur. *Clemens Alex.* a *Paulo* putat hebr. scriptam & a *Luca* in græc. translatam. Interim *Euseb.* l. 6. c. 25. testatur veteres quasdam ecclesias ante Origenis tempora, eam Pauli credidisse. In Oriente tanquam Pauli epistola Sæc. iv. in Occidente post initia Sæc. v. recepta ab omnibus.

§. 53. *Secunda & III. Joh.* quia ad privatos quosdam Asiaticos scriptæ in Asia primum

mum receptæ. In aliis ecclesiis eam ipsam ob caussam minus curatæ videntur. Post Sæculum tamen IV. a nemine amplius de iis dubitatum fuisse certum est. *Apocalypsis* ejusdem majoribus dubitationibus, ob libri momentum, obnoxia fuit. Fuerunt etiam pauciora ejus exempla olim facta. Unde multi Codices antiqui inveniuntur, quibus non addita reperitur.

§. 54. Hæc porro *Apocalypsis Johannis*, quoniam liber propheticus est, qui de profundis mysteriis agit, non tam sæpe lectus in ecclesia, nec descriptus est, quam ceteri libri. Interim constat ex Scriptoribus ecclesiasticis, quod vivente *Johanne*, & post ejus mortem absque difficultate recepta fuerit. Sæculo III. demum exorta dubitatio, imprimis propter *Regnum millenarium*, quod c. XX. stabilire videtur; & propter exemplorum raritatem nonnulli ejus inter Libros S. mentionem non fecerunt. Sed tamen omni tempore pii & eruditi viri in ecclesia fuerunt, qui illam, ut authenticam, receperint. Ita *Origenes* N. T. dividit in *Εὐαγγελίων, Ἀποστόλων καὶ Ἀποκαλύψεως λόγια*. Et *Epiphanius* notavit, *apud plerasque, & maxime pios* admitti. Neque tamen eo secius etiam usque ad Sæc. VIII. a quibusdam fuit dubitatum.

§. 55. Addo iſtam admonitionem. Si nonnullorum librorum alicui videatur minus confirmata αὐθεντία, tamen ceterorum auctoritatem omni exceptione majorem eſſe; unde fides noſtra ex omni parte confirmatiſſima reddatur. Ceteri libri nulla in re diſſentire deprehenduntur: adeoque & hi merito ab omnibus recipiuntur, imprimis cum ſic auctoritatem majoris & melioris partis ſequamur. Nobis autem nullum eſt dubium, quin omnes, qui nunc ſunt, jure ſint recepti.

§. 56. Hæc de *Canone*, ejusque *Integritate* ſufficiunt. Nunc ad *Integritatem*, ſeu *Puritatem* ſingulorum Librorum, ſ. *Textus* progrediemur. Hæc in eo conſiſtit; quod Textum ſingulorum librorum hodie talem habemus, qualis olim a viris θεοπνεύστοις exaratus fuit. Tria ſunt potiſſimum hujus Puritatis argumenta. I. Veteres Codices MSti. II. Antiquæ Verſiones. III. Citationes Patrum.

§. 57. Loquimur autem de Textu Originali, *hebraico* Veteris, & *græco* Novi Teſtamenti. Huncque dicimus integrum & incorruptum eſſe, partim quia Dei O. M. bonitas & ſapientia nos ſperare jubet, ut verbum, quod ad ſalutem hominum dedit, conſervaretur: partim quod ea, quæ modo dixi, ad idem probandum concurrunt.

§. 58. Integritati illi non contrariatur 1°. quarundam editionum, aut quorundam Codicum particularium corruptio. Nam talis in editis eſt frequens, nonnulla & in MStis, vel malitia hominum vel negligentia. Ita & corruptio fieri poteſt in verſione, quali Codice *Juſtinus* M. uſus, qui in Dial. cum Tryph. aſſerit, Judæos ex Textu ſuſtuliſſe verba Jer. xi. 19. quæ tamen in omnibus Codd. leguntur apud Hebræos.

§. 59. Non objici poteſt 2°. irregularis ſcriptio, vel punctatio quarundam vocum hebr. Talis enim conſtans & eadem in omnibus codicibus invenitur. Immo vero etiam de Antiquitate ejus ſcriptionis conſtat ex *Notis Maſoreticis*, quæ plerumque ſunt appoſitæ. Iſtarum auctores vulgo habentur, qui vixerunt Sæc. vi. *Rabbini Tiberienſes*. Sed cum earum jam mentio in Talmude inveniatur, colligitur fuiſſe antiquiores. Tales notæ aut ſimplicem indicant anomaliam grammaticam; aut myſterium aliquod, & profundiorem ſenſum; aut vocum in textu mendoſe ſcriptarum correctionem; aut variantem lectionem, quod in univerſum קרי & כתיב dicitur.

§. 60. Negamus itaque V. T. corruptum a Judæis ex malitia, aut ex incuria. Primum neque ante C. N. neque poſt, factum. Non ante; quia nec Chriſtus, nec

Apoſtoli

Apostoli inter tot crimina hoc in iis reprehenderunt; sed ad scripturas simpliciter provocarunt in iis ipsis, in quibus eos de veritate convincere laborabant. Immo vero Paulus Rom. III. 2. laudat Judæos de custodia S. S. Non post C. N. 1°. quia testimonia de Chr. in N. T. allegata eodem modo adhuc in V. T. invenimus. 2°. quia nec voluntatem nec facultatem habuerunt hoc faciendi.

§. 61. Non habuerunt Judæi voluntatem. Nam 1°. si voluissent, corrupissent imprimis vaticinia de Christo, quod non fecerunt. 2°. Chaldaicarum paraphrasium collatio idem probat, quæ in nonnullis fortius, quam ipse Textus hebræus, Judæos constringunt. 3°. Obstabat singularis religio, qua Judæi omni tempore S. Scripturam prosecuti sunt, adeo ut quilibet Judæus centies mori mallet, quam ut pateretur, quidquam in Lege mutari, unde & tot superstitiosæ regulæ in describendis Codicibus observandæ, de quibus *Leusden.* Philol. Hebr. Diss. 33.

§. 62. Nec potuerunt Judæi Textum corrumpere, 1°. ob *Masoram*, quæ omnes fere voces numeravit, ac omnes vel levissimas differentias observavit. 2°. ob multitudinem Codicum. Nam si in quibusdam facta esset corruptio, ceteri permansissent integri.

Quidam

integri. 3°. Ex Dei Providentia, quæ realem & essentialem corruptionem Librorum S. non permittere potuit. 4°. Post. C. N. exstabant passim versiones Librorum V. T. quas cum in manibus haberent Christiani, haud tacuissent Judæorum corruptelas, si quæ in hebræo textu essent factæ.

§. 63 Tandem etiam non ex incuria corruptionem factam patet partim ex superioribus argumentis; partim ex eo, quod ipsi antiqui Christiani, iique in hebraicis doctissimi, illos criminis ejus non postularunt, vel accusarunt.

§. 64. Ex ante dictis refelluntur 1°. *impii* quilibet verbi divini hostes & contemtores, qui auctoritatem illius imminuere student, objectione corruptionis. Hi imprimis id ferre non possunt, quod ex *Providentia* Dei integritatis S. S. argumentum petamus. Ajunt, sic Deo perpetuum miraculum adscribi, quod fieri negamus. Nam ordinariis modis omnia facta, ex superioribus patet, dum hominum studia & diligentiam Deus excitaret.

§. 65. Refelluntur 2°. *Pontificii*, qui cum sentirent, Protestantes ad textum originalem provocare, & inde novas conficere versiones, quas Versioni Vulgatæ opponerent, hoc sibi crediderunt faciendum, ut textum orig. corruptionis arguerent.

Quidam

Quidam eorum eo usque progressi sunt, ut nihil in eo sani esse contenderent, & vers. Vulg. illi præferrent, de quibus ait *Bellarminus*; *ex Zelo bono, sed non secundum scientiam agere.* Alii vero, cum ipso *Bellarm.* modestius sentiunt, ac censent; *Scripturas hebraicas habere quosdam errores, partim ex incuria & lapsu librariorum, partim illorum culpa, qui puncta vocalia addiderunt.*

§. 66. Contra utrosque valent argumenta jam adlata. Addemus tamen alias quasdam observationes. 1) dicunt *Judæos semper Christianæ Religionis hostes fuisse.* At hinc non sequitur eos Codices S. corrupisse. Illud verum est, post C. N. Judæos veras nonnullas prophetiarum interpretationes majorum suorum deseruisse, & alias Christianis contrarias excogitasse. 2) *Judæos* ajunt *puncta vocalia addidisse.* Fac ita esse; non tamen addiderunt falsa. Dein & hæc adhuc sub judice lis est, de origine & antiquitate punctorum. Summa verioris sententiæ est, ea si non ab ipsis Prophetis addita; saltem adscripta fuisse, antequam usus communis Linguæ hebrææ obsolevisset; nec adeo dubitandum, quin recte apposita sint.

§. 67. Nunc ad N. T. progrediemur. Supponimus hic tanquam certum, quod multis argumentis criticis constat, N. T. græca

græca lingua exaratum esse, adeoque hunc esse *Originalem Textum.* Nam *Harduini* somnia, qui latine scripsisse Evangelistas & App. putavit, non moramur. In eo quidem Originali Textu, ut sæpe jam antehac, ultro concedimus, plurimas inveniri Lectionum Variationes, ut vel ex *Mastrichtii*, vel plenius ex *Millii* N. T. intelligitur. Sed contendimus etiam atque etiam, illas variationes non esse argumentum depravati textus; sed tantum depravatorum Codicum. Nam quod in uno Codice est corruptum, id in aliis recte se habet.

§. 68. Habemus itaque regulas, ad quas illas *Variantes Lectiones* examinemus & dijudicemus. I. Collationem codicum antiquorum. II. Allegationes Patrum. III. Versiones antiquas, imprimis Syriacam ac Lat. Vulg. Ex his si non singula verba ac phrases, saltem sensum, cum omni certitudine cognoscimus.

§. 69. Quod si post ea subsidia maneat de verbis dubium, videndum est, an id ad dogma aliquod pertineat. Sin minus, opus non est, ut de eo valde simus solliciti. Sin autem capitale sit, oportet ut aliis Scripturæ testimoniis, quibus eadem doctrina inculcatur, contenti simus. Nulla enim capitalis doctrina, uno tantum, aut duobus locis traditur, ut si isti nobis extorqueantur,

quod

quod improbo studio facere nonnulli conati sunt, de doctrina sit actum.

§. 70. Constat itaque, Textum Originalem N. T. sic esse integrum, 1°. ut ex eo doctrinam omnem Christianæ fidei plene ac certo cognoscere & confirmare; 2°. ut omnes tam veteres quam novas versiones ad illum exigere possimus. Id quod imprimis circa Vulg. lat. tenendum est, quam Pontificiorum nonnulli græco textui præferunt.

§. 71. Talis integritas cum ex ante dictis eluceat; accedit etiam argumentum a Providentia Dei desumtum, quod de N. non minus valet, quam de V. T. Quamvis enim in N. T. nullam habeamus Masoram, non defuerunt tamen ullo tempore, ut ex Hist. Eccl. & litter. constat, viri pii doctique, qui hujus integritatis curam gesserunt.

§. 72. At testantur Patres primæ ecclesiæ, hæreticos conatos fuisse N. T. scripta corrumpere, id quod non negatur. Constat id ex *Irenæo*, *Origene*, *Theodoreto*, *Eusebio*. Sed corruperunt tantum suos codices, non omnes. Et Orthodoxi fraudes eorum statim detexerunt, ut ex iisdem testimoniis constat. Loca singula, ubi talis corruptionis suspicio fuit, examinare, ad regg. §. 68. Criticorum est. Sed Criticorum, qui veritatem sincere quærunt,

non

non eorum, qui temere suis hypothesibus, sæpe impiis, serviunt, ac ita tractant S. Libros, ut eadem audacia nemo Plauti aut Virgilii poëmata tractare ausus fuerit. Nec immerito damnatur eorum impia diligentia, qui eo tantum fine conquirunt *Var. Lect.* ut Religionis Chr. dogmata evertant.

§. 73. Nunc porro de *Perfectione Scripturæ S.* agendum. Ea dicitur; quod Scriptura S. continet omnia, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria. Hanc probamus I. ratione, quam ex scopo Dei in danda revelatione colligimus. Non haberet S. Scriptura eum usum, quem habere debuit, nisi perfecta esset, nec contineret eam Religionem, quæ a Deo revelata est.

§. 74. II. Ex eo, quod Deus nihil vult ab hominibus verbo suo addi, nec detrahi, Deut. IV. 2. XII. 32. Ubi quidem speciatim de Lege agitur. Sed argumentatio ea valet a minori ad majus. Si perfecta est Mosaica lex; quanto magis tota Scriptura Prophetarum & Apostolorum? Latius est dictum Proverb. XXX. 5. 6. Multi etiam huc referunt Apoc. XXII. 18. 19. Sed alii verba illa ad Joh. modo Librum illum pertinere putant. Nec sine ratione. Nam libri N. T. nondum in Canonem collecti, immo ne scripti quidem omnes fuerunt. Adde Ps. XIX. 8.

§. 75. III. Quia ex S. Scriptura possumus omnia quacunque ratione utilia & necessaria discere, 2 Tim. III. 15. 16. 17. Itaque & dicimur in Script. S. habere *vitam æternam*, Joh. V. 39. XX. 31. Quare nihil ulterius desiderandum nobis erit.

§. 76. Hinc refelluntur 1°. *Judæi*, qui legi scriptæ addiderunt *Legem oralem.* De hac vide Matth. V. 21. & XV. 2. Ei patrocinium quærunt ex Deut. V. 27. 28. & XVII. 8. 9. &c. Sed frustra. Itaque & *Talmud* rejicitur, *Mischna* & *Gemara* constans, quo comprehensæ illorum traditiones sunt, quibus plurimæ ipsius Mosis & prophetarum doctrinæ evertuntur.

§. 77. Refelluntur 2°. *Pontificii*, qui *Traditiones* non scriptas pari pietatis adfectu cum divinis Scripturis recipiendas esse docent. Vid. *Concil. Trid.* Seff. IV. Decr. de Canon. Scripturis. His opponimus 1) dictum Christi Matth. XV. 9. ex Esaj. XXIX. 13. 2) Nulla promissio est Dei, de talibus traditionibus. 3) Traditio oralis valde incerta; nec potest fidem divinam producere. 4) Lata sic porta aperitur omnibus inventis humani cerebri, quæ nomine *Traditionum* proponi possunt.

§. 78. Obj. 2 Thess. II. 15. 1 Cor. XI. 2. ℞. Hic non agitur de doctrinis non scriptis; sed de modo institutionis, quæ vel ore vel scripto

ſcripto fit; neque eo ſecius easdem res comprehendere poteſt. Vel, ſi de rebus non ſcriptis agitur, intelliguntur res ad externum in eccleſia ordinem, ſeu diſciplinam pertinentes. Ubi vero patres veteris eccleſiæ *Traditionis* mentionem faciunt, intelligunt vel doctrinam Scripturæ S. conſenſu antiquitatis inde a temporibus Apoſtolorum ſtabilitam; vel rem ad diſciplinam ſpectantem. Nec abnuimus, id pro vero recipiendum, quod ab Apoſtolis traditum conſtat; ſed negamus ullas doctrinas ab illis traditas, quæ in Scriptura S. non exſtant.

§. 79. Refelluntur 3°. veteres & recentiores *Fanatici* & *Enthuſiaſtæ*, quorum nonnulli de S. Scriptura valde tenuiter loquuntur, appellantes *Litteram occidentem*, Spiritu deſtitutam, nonniſi tironibus utilem &c. Alii ſaltem ad perfectionem non ducere; ſed *interno Verbo*, ſeu Spiritus S. adflatu opus eſſe ajunt. Non eadem eſt omnium Fanaticorum ſententia. Alii *Lumen* quoddam *internum* & divinum cuivis homini connatum eſſe; alii id per immediatam revelationem in illo accendi ſtatuunt.

§. 80. Ad priores pertinent *Quackeri*, *A. Bourignonia* & *P. Poiretus*, *Val. Weigelius*, *Jac. Boehmius*. Ad alteram recentiores Fanatici, *Mennonitæ*, *Inſpirati* & ſimiles. Omnes iſti, quia nullam agnoſcunt externam creden-

dorum & agendorum normam, etiam nullum habent ex certis principiis deductum fidei Systema, nec etiam distinctos dogmatum conceptus; unde complures errores oriuntur.

§. 81. His opponuntur 1) quæ de divina inspiratione & perfectione Scripturæ S. jam sunt dicta. 2) Quod ubi nulla est certa norma & regula fidei & vitæ, lata aperitur porta erroribus & maleficiis, ut experientia docet. Unusquisque sua deliria pro lumine divino, vel inspiratione habere, & aliis proponere potest. Hinc & frustra cum talibus disputatur, donec ad Scripturam deducti sint, ut unicam credendorum normam.

§. 82. Obj. I. Deum promisisse temporibus N. T. uberrimam Spiritus S. effusionem, Joel II. 28. 29. & Act. II. 16. ℞. Et promisit & præstitit, ut heic Petrus docet; & præstat adhuc in cordibus fidelium; sed unice & per Scripturam. Obj. II. Omnes fideles N. T. esse Θεοδιδάκτους, Esaj. LIV. 13. Jerem. XXXI. 34. Joh. VI. 45. ℞. Sunt, partim quia Deus per ipsum suum Filium, partim quia per Spiritum S. in cordibus fidelium loquitur, ut verbum Scripturæ sit efficax, & planum.

§. 83. Obj. III. Scriptura est *Littera occidens*, 2 Cor. III. 6. ℞. Negatur istud. Nam ibi non de Scriptura agitur; sed de *Lege*, quatenus *Evangelio* opponitur, quia illa peccatorem non justificare, sed tantum mortis reum peragere potest. Hinc non vitæ æternæ spem, sed mortis metum adfert.

§. 84. Obj. IV. *Spiritus Spiritui nostro testatur*,

flatur, Rom. VIII. 16. 1 Joh. V. 6. ℞. Utique; sed non sine Verbo scripto. Operatur Spiritus S. per Scripturam S. dum intellectum illuminat, & cor flectit. Et hæc quidem sunt præcipua illorum argumenta, qui *Inspirationem* aliquam cujuslibet hominis fidelis statuunt, cum nostris Responsionibus.

§. 85. Qui vero docent lumen aliquod internum homini innatum, illi 1°. provocant ad propriam cujusvis conscientiam. At confundunt hi conscientiam hominis atque luminis naturalis dictamen, cum lumine supernaturali. Jam vero illud non est ad salutem æternam sufficiens; sed necessaria Revelatio, ut antea probatum.

§. 86. Provocant 2°. ad exempla hominum pietate & virtute præditorum, qui tamen Revelatione caruerint. Nominant *Melchisedecum*, *Jobum*, *&c.* item *Socratem*, *Aristidem*, *Catonem &c.* ℞. quod ad priores attinet, illi & similes non fuerunt destituti Revelatione, quam vel immediate a Deo, vel mediate ex traditione habuerunt. Posteriores nihil præstiterunt, quod non ex lumine nat. & vi conscientiæ fluere potuit, adeoque nullum in iis fuit lumen supernaturale.

§. 87. Superest, ut de *Usu Scripturæ S.* agamus. Ille consistit in *Lectione* ac sensus indagatione, quæ *Interpretatio* dicitur. Hinc ante omnia statuimus Lectionem istam ac interpretationem omnibus esse 1) necessariam, 2) licitam, 3) etiam possibilem.

§. 88. Probatur Lectionem & Interpretationem S. S. esse I. *necessariam*, quia S. S. continet

 tinet

tinet divinam Revelationem, quam cognoscere unusquisque debet. Nam sine hac cognitione ad æternam salutem pervenire nemo potest. Itaque si necessaria fuit Revelatio, etiam necessaria est ejus cognitio.

§. 89. II. *Licitam* esse constat, quia nemini interdictum est a Deo, ne S. S. legat ac intelligere studeat; quod ex ipsa S. S. liquet. Si igitur Deus ea non interdicit cuiquam, alius nemo interdicere potest, sed unicuique licita est Lectio S.S. ac in usum proprium Interpretatio.

§. 90. Porro laudat Deus in Scriptura eos, qui illam diligenter legerunt; Actor. XVII. 11. 2 Tim. III. 15. Jubet legere & scrutari, Luc. XVI. 29. Joh. V. 39. Coloss. III. 16. Mandat Regibus, Deut. XVII. 19. Toti Populo Deut. XXXI. 11. 12. 13. Adde Ps. I. 2.

§. 91. III. Si necessaria Lectio & Interpretatio S. S. sique licita, est etiam *possibilis*, ita, ut a quovis intelligi queat, quantum ad salutem æternam ipsi opus est. Alioqui Revelatio divina ex S. S. cognosci non posset, quod tamen est necessarium; nec mandari posset Scrutatio S. S. Hæcque dicitur S. S. *Perspicuitas*.

§. 92. Objiciunt *Pontificii*, I. Multitudinem & varietatem subsidiorum ad intelligentiam S. S. necessariorum. ℞. Plura sunt necessaria iis, qui alios docent, adeoque pro aliis interpretantur S. S. pauciora iis, qui tantummodo pro se legunt, ut intelligant. Quibus cum isti, tum illi mediis uti debeant, postea dicetur.

§. 93. Obj. II. Dissensum interpretum doctissimorum. ℞. Ille dissensus vel est in rebus

ad

ad salutem æternam necessariis, vel in aliis. Circa priora non oritur ex ipsius S. S. difficultate aut obscuritate; sed ex aliis caussis, quæ in ipsorum interpretum animo sunt quærendæ. Circa posteriora dissensus, ad præsentem quæstionem nihil facit.

§. 94. Obj. III. Loca varia obscura, in quibus doctissimi etiam viri nihil definiré audeant. ℞. Non negatur, talia dari. Sed eo ipso, quia sunt obscura, tuto ignorari possunt. Deinde sæpius ad Historiam, Chronologiam, Genealogiam, Antiquitates pertinent, quæ ad pietatem nihil faciunt. E contrario doctrinæ salutares, quæ in uno loco obscurius continentur, in aliis clarius tradi solent.

§. 95. Ceterum, quamvis lectio ac interpretatio S. S. *Laicis* interdicta sit communiter a Pontificiis, non tamen defuerunt, etiam inter ipsos rectius sentientes. Sed isti fere sunt *Jansenistæ* in Gallia, qui pro hæreticis habentur. Constat certe lectionem S. S. in universum maximopere negligi, neque id ab Ecclesiasticis reprehendi; immo vero eos hæreseos suspectos haberi, qui diligentius S. Scripturas legunt; aut ubi permittitur, addi cautelas, quæ studium S. Litterarum impediunt.

§. 96. Obj. IV. Ex promiscua lectione & interpretatione S. S. oriri *hæreses* & errores. ℞. 1o. Negando. Nam inde oritur cognitio rerum salutarium, quæ erroribus est contraria. 2o. Hæreses pleræque non sunt ortæ a Laicis; sed ab Ecclesiasticis. An ergo his quoque interdicetur lectio S. S. 3o. Hæreses multæ sunt ortæ tempore Apostolorum, multæ Sæc. II.

III. IV. nec tamen vel Apostoli, vel Concilia Oecumenica eorum Sæculorum, aut ullus Patrum, a Scripturæ S. lectione Laicos prohibuerunt. 4°. Hæreses inde maxime oriuntur, quod homines simplicissimam S. Scripturæ veritatem deserentes aliorum auctoritatem aut proprii ingenii figmenta sequi maluerunt.

§. 97. Immo vero, quomodo satisfacere possemus præcepto Apostolico 1 Thess. V. 21. 1 Joh. IV. 1. si doctrinas quaslibet non liceret ad S. Scripturam examinare? Quod Pontificii tale examen periculosum judicant, omnem eorum religionem suspectam facit. Veritas enim non fugit lucem, sed omnium examini se subjicit, & sua evidentia ac certitudine consistit.

§. 98. Obj. V. Pontificii 2 Petr. I. 20. unde colligunt, neminem *privatum* S. S. interpretari debere. ℞. 1°. Locus ille tantum agit de Prophetiis V. T. 2°. Sensus est: Prophetiam non seipsam explicare, sed per eventum declarari. Aut rectius: Prophetiam non ex proprio hominis cujusquam studio prolatam; sed Spiritu Dei dictatam esse.

§. 99. Quandoquidem S. Scriptura lingua hebræa & græca est exarata, hodie autem istæ linguæ non sunt in usu, aut vernaculæ; hinc sequitur necesse esse, ut in linguam cujusvis gentis vernaculam S. S. convertatur. Hoc ergo male & injuste prohibetur, quod partim ex necessaria omnibus lectione S. S. constat; partim ex usu ecclesiæ veteris, cum Judaicæ tum Christianæ. Ita Judæi V. T. transtulerunt in linguam Græcam, & Chaldaicam. Christiani N. T. in Syriacam, Latinam, Gothicam, Arabicam,

Arabicam &c. De his & ceteris vid. Philologi, & instar omnium *Walton.* in Apparatu Bibl. ac *Leusden.* in Philologis.

§. 100. Istæ versiones ita sunt comparatæ, ut Christianus quilibet iis ad propriam ædificationem & instructionem uti possit: Ceterum eædem a doctioribus ad Textum Originalem examinari, ac ubi discrepant, emendari debent. Nulla enim versio est *authentica*; unde & doctiores inter Pontificios decretum Concilii Tridentini de *Versione Vulg.* lat. ita exponunt, ut ea declaretur in communem ecclesiæ usum recipienda, non textui originali æquiparanda. *D. Guarin.* Proleg. grammat. hebr.

§. 101. *Laici* præter vulgares versiones, easque potissimum in cujusque ecclesia probatas, audire possunt ac debent Doctores ecclesiæ, Scripturam S. interpretantes; Matth. XXIII, 2. Habere possunt ac debent isti auctoritatem, qualis erudito in sua scientia convenit; non infallibilem, aut coactivam; sed examini rationali obnoxiam, tumque valentem, cum habet S. Scripturæ consensum.

§. 102. Iidem subsidium ad intelligendam S. S. inveniunt in attenta consideratione antecedentium & consequentium: præcipuum autem in frequenti repetitione, ac locorum collatione, quod si fiat, invenient ibi clarius, quæ nonnunquam obscurius dicta sunt. Non omittendæ preces ad Deum.

§. 103. Doctores & ministri ecclesiæ, præter ista, indigent cognitione linguarum originalium, Hebr. Chald. & Græcæ; usum quoque percipiunt ex aliis linguis adfinibus. Indi-

gent collatione versionum antiquarum & novarum, nec non cognitione Historiarum & Antiquitatum, tam sacrarum, quam profanarum; indigent Arte Critica, ceterisque mediis hermeneuticis.

§. 104. Ut ad Laicos redeamus, negant Pontificii, illis utilem esse viam examinis; quia sit difficilis ac longa; cum e contrario via auctoritatis sit facilis ac brevis. ℞. Est, si auctoritas sit certa, atque etiam evidens ejus sensus. Sed negatur, eam, quam Pontificii proponunt, talem esse. 1°. enim probanda erit Auctoritas ecclesiæ irrefragabilis, quod fieri non potest. 2°. doctrina ecclesiæ Rom. hauritur ex Conciliorum decretis, Pontificum decisionibus, Sententiis Patrum, Traditionibus, ut vocant, Apostolicis. Jam vero quis non videt, quot dubitationibus, difficultatibus, obscuritatibus hæc sint obnoxia?

§. 105. Obj. Pontificii porro 2 Petr. III. 16. ubi dicitur in Epistolis Paulinis esse δυσνόητα τινά. ℞. Sunt utique; sed non ea, quæ ad salutem sunt necessaria. Immo illa, quibus sint difficilia, ibidem dicitur. Dein etiam difficilia studio ac diligentia investigari possunt a docilibus & sedulis lectoribus. Adhibenda interim sunt subsidia, qualium mentionem antea fecimus.

§. 106. Huc pertinet quæstio de *Consequentiis*; An ea quoque pro vera doctrina S. S. haberi debeant, quæ non expressis verbis, sed per consequentias inde colliguntur? Pontificii negant, & illud αὐτολεξεὶ, f. ut omnia expres-

fis

ſis verbis ſcripta proferantur, urgent. Nos adfirmamus. Ratio eſt, quia Deus quasdam doctrinas revelans optime perſpexit, quid ex ſingulis ſequatur; adeoque iſtæ conſequentiæ, ſi legitimo modo inde ducuntur, etiam ab illo ſunt revelatæ. Habemus & exempla conſequentiarum ab ipſo Chriſto Matth. XXII. 43. ſq. & Paulo Rom. IV. 2. ſq. 1 Cor. XV. 29. adhibitarum.

§. 107. Neque alia datur Scripturam S. interpretandi ratio, quam ut ex propoſitionibus in ea contentis conſequentiæ nectantur, quæ ſenſum illarum propoſitionum indicant. Ceterum in rejectione conſequentiarum & poſtulato, ut omnia αὐτολεξεὶ ex Scriptura probentur aut refutentur, conſiſtit *Methodus Veroniana*, quam *Franc. Veronius*, Jeſuita, excogitavit, *Walenburgii* Fratres dein exornarunt, ut Proteſtantes in errorum refutatione impedirent.

Errata.

Pag. 46. lin. 25. *pro*, Mundo convenire; *lege*, Mundo non convenire.

Pag. 102. lin. 9. *pro*, independens &; *lege*, independens eſſe.

Pag. 193. lin. 5. *pro*, intelligimus prædictionem; *lege*, intelligimus nec prædictionem.

INDEX

INDEX CAPITUM.

FINIS.

